DE CONCILIO,

ET LEGITIME IVDICANDIS CONTROVERSIIS RELIGIONIS,

CRIMINVM, QVÆ IN MART. Bucerum Ioh. Cochlæus ad Illustríssimos Príncipes ac clarísſímos Ordines S. Ro. Imperij per Germaniam, & quæ Ioh. Groppe-rus ad Maieſt. Imperatoríam perſcripſit, Confutatio.

EPISTOLA IO. COCHLAEI AD eoſdem Ordines, in Mart. Bucerum

PSAL. 75.
Cum cœtum ſumpſero, quæ æqua ſunt iudicabo.

PSAL. 26.
Odiui cœtum malitioſorum, & cum impijs non ſedebo.

CAPITA HOC LIBRO tractata: ſignata ſunt Quaternione. t.

PER MARTINVM BVCERVM.

Anno M. D. XLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS, CLARISSIMIS PROCERIBVS S. RO. IMperij per Germaniam, Gratiam & pacem à DEO patre nostro cœlesti, & Domino ac Seruatore nostro IESV CHRISTO.

PERLATVM EST AD ME SVPERIOribus aliquot diebus, exemplum Epistolæ Ioannis Cochlæi, quam ad uestras Cesitudines misit: in qua grauissimis conuitijs ille debacchatur in me, meósque libros, quos per hęc Comitia Vuormacienſia nuper ad Imp. et Reg. Maiestatem, atque V. Celsitudinem ædidi, de uera ratione Concilium Ecclesiasticum indicendi ac celebrandi. Cui quidem Epistolæ statim responsurus eram, ac etiam petiturus iudicium mihi dari, & certô id petiturus, non simulatè, & insidioſè, ut ille, nisi uidissem, spem eam planè præcisam, ut hoc Comitio causa Christi, causa salutis nostræ, legitimè cognoscenda & dijudicanda susciperetur, quemadmodum superiori proximo Spirensi Comitio piè & salutariter decretum fuit.

Responsurus autẽ eram non ideo, quòd me Cochlæi commouerent siue crimina, siue conuitia: nam etsi non nullum illa pondus habent apud hostes Euangelij, propter hæc enim conuitiator iſte, aliquot præpinguium Canonicatuum sacrilegijs locupletatus est: tamen adeo per se sunt leuicula, & insulsa, nullam ut mereantur consutationem: Quocirca illius scriptis, uix unus & alter

reſpondere dignatus eſt, tametſi uix alius plura quàm ipſe, contra piam & ſanam doctrinam profuderit. Etenim à frequenti illo & celebri Comitio Vuormacienſi per totos 25 annos in hac militia uerſatur, ut indefeſſus Antichriſti miles: uerum talis, qui ex longinquo pugnat, & tela conijcit, quæ neminem uulnerent: Verumenimuero, cum Germaniæ ſalus maxima ex parte in eo poſita ſit, ut Celſitud. V. aliquando animum inducant, ad has religionis controuerſias, legitimo iudicio cognoſcendas: uſus fuiſſem occaſione huius Cochlæanæ crimi nationis, ueſtrámq; fidem & beneuolentiam imploraſſem, atque iudicium nobis de religione dari petiſſem, ſi ſpes ulla fuiſſet, hoc poſſe impetrari: ſed cum uiderem in hoc quidem Conuentu, rem eò deduci non poſſe, ut Celſit. V. de religionis controuerſia cognoſcerent: non putaui uos hoc nomine ſollicitandos eſſe.

Quoniam uero non Cochlæus tantum, ſed & plerique alij, ut doctiores, ita etiam nocentiores illo calumniari, & uarijs ſophiſmatis conati ſunt euertere, quæ de uera & unica ratione Concilium indicendi & celebrandi ſcripſi, quò Eccleſijs Germanicis in hoc tempore conſuli poſſit: uiſus mihi ſum facturus rem non inutilem, ſi ad præcipuas ipſorum calumnias, & ſophiſticas argutias aliquid ſaltem reſponderem, idque latinè, ut & illi, qui nobis ludibrium hoc, & ſpectrum Concilij Tridentini obijciunt, & alij plerique Germa. linguæ imperiti, ea intelligant. Nam ut Germanicè adijciatur aliquid, nihil opus eſt: quandoquidem prioribus libris meis aduerſariorum illæ calumniæ & ſophiſmata ſunt abunde refutata.

Hoc tamen Cochlæo dabo, ut in hac defenſione rectæ ſententiæ de uera cogendi habendíque Concilij ratione,

tione, & in refellendis criminibus conuitijsq, non tam Cochlæi, quàm totius coniurationis Antichristianæ, eum ordinem sequar, quem ipse seruauit, dum nos præter omnem modum criminatur. Quę uero nobis obiecit crimina, hæc ferè sunt: Me impia Rhetorica & Sophistica, ac nugacissimo prætextu Scripturarum, authoritatis S. Patrum, Canonum, Legum & historiarum uoluisse Celsitud. V. suadere, nationis nostrę potius, quàm generale omnium nationum Concilium esse cogendum & celebrandum: Quia quidem fraude id efficere studeam, ut in clyta nostra, & laude religionis ac diuini cultus nobilitata præ cæteris natio, fidem à maioribus acceptam deserat, & non solum à Pontifice Ro. qui communis Ecclesiæ pastor semper sit habitus, uerum etiam à reliquis omnibus Catholicæ fidei nationibus deficiat, & perpetuo quodam schismate pereat: Item, ut pro nihilo ducat & contemnat Edictum Vuormacience & Decretum Augustanum, unà cum alijs quibusdam Cæsaris contra nos & doctrinam nostram editis mandatis. Postea subiungit in suo scripto Lutherum huius tam pernitiosi dissidij authorem, pertinaciter adseruisse doctrinā suam Vuormaciæ, nec uoluisse eam cognitioni Concilij permittere: Nec id modo, uerū etiam multo deteriores libros emisisse postea, ut excitaret tumultus contra Catholicos, & indies factum se ipso deteriorem, sanguinisq; funden di auidiorem. Me uero alterum Apostatam & maritum incestuosum, similib. ludis & artib. Ro. Imperiū incessabili machinatione conturbare. Postremo, me ferocire, & efferri impia quadam & impudenti audacia, quòd ausus fuerim prouocare ad legitimum iudicium, Colonienses, & quoscunque alios Aduersarios nostros, & ea quidem

Crimina Cochlæana.

lege,ut me pœnis iuris subiecerim,si quis me fallî in religione, aut flagitij alicuius in uita possit conuincere. Et hac prouocatione scribit me de V. Celsitudinũ ac omnium Catholicorum patientia triumphare, et insultare Ecclesiæ Dei, columnæ & firmamento ueritatis, impuris & incircumcisis labijs. Hæc ferè sunt illius in nos conuitia, grauissima quidem illa, sed impudentiæ & uanitatis plenissima.

Neq; uerò mirum uideri debet illum usq; adeò furere & transuersum agi: nam odiũ illud quod inueteratũ cit cumfert aduersus Euangelium Christi, indies magis atq; magis in eo crescit. Imitaẽ omnino suos maiores, pseudo prophetas, phariseos, scribas & falsos sacerdotes: qui Prophetas à Domino missos, imò Christum ipsum mundi Seruatorẽ, et Apostolos, omnis generis atrocitate persecuti sunt. Etenim nulli homines aduersus syncerã religionis doctrinam ita seuiunt, atq; ij, qui religionẽ ambitioni & quæstui habent: Documento sunt illi ipsi pseudoprophetę, pharisæi, Scribæ, & Iudæi sacerdotes, persecutores illi Christi Dñi, tum etiam pseudoapostoli, & idolorum sacerdotes. Nam qui Deum, uoluptatibus, diuitijs, opibus, & honoribus posthabere semel in animũ induxerint: cum niti hæc falsis, & euerti ueris religionibus uidere se putant, multo acrius pro falsis suis religionib. contra ueras dimicant, quàm filij Dei ferè soleant, carne scilicet impediti, pugnare pro ueris religionib. contra falsas. Nec enim callidiores tantũ sunt filijs lucis filij huius seculi in sua generatione, & pro reb. suis, sed etiã magis industrij, & in agendo acriores: carnis scilicet prauitate ui spiritus mali nimis cupidè subseruiente.

Deinde nulli omnino hominũ tradi solent à Deo iusto pec-

ſto peccatorum ultore deploratius prauis cordium ſuorum cupiditatibus, perturbationibuſq; pudendis et horrendis, et in mentē peruerſam ac reprobam, hoc eſt, nulli permittunt ui Satanæ penitius, quàm qui, cum Deum reliquis hominibus amplius cognouerint, & cultum eius pluribus profeſſi fuerint, nec tamen eum ut Deum glorificare, gratiásq; ei agere ſtudent, ſed ad excogitandos peregrinos, & abſurdos cultus euaneſcunt, & reiecta lege Dei, doctrina cœleſti, figmēta excogitant, et efferunt impietatis ſuæ: Qua de re Apoſtolus Romanis grauiſſimè concionatus eſt. Iam apud quos Satan arcē mentis obtinuerit, quos captiuos ad uoluntatē ſuam iam plene conſtrinxerit, in his ſolet quoq; hoc eſſe ferocior, & importunior, cum ad tuendū ſuum, in eis, qui à Chriſto Domino adhuc alieni ſunt, imperiū, tum ad oppugnandum illos, qui eius poteſtati erepti, in regnum translati ſunt filij Dei.

His itaq; de cauſis adeo in nos Cochlæus, & coniurati eius efferantur, & debacchantur, nec ullo certe noſtro peccato: uel in religionem Chriſti, quam ſibi omnino intolerabilem ducunt: uel in ipſos, quos nulla in re lædere unquam cogitauimus. Vt enim eorū peruerſitatem tam in cæremonijs quàm in uita reprehendimus, hoc ipſorum bono, ſi uellent, nullo autem fit incommodo. Eo autem miſeri deprauationis euaſerunt, ut nec morbos ſuos, nec remedia horum morborum ferre queant.

Porro quod tam multis tamen ac magnis uiris hi Euangelij Chriſti hoſtes fucum faciunt, & ſuas contra nos calumnias approbant, quanquàm manifeſti ipſi ſint tam horrendæ deprauationis, in omnibus cum miniſterijs ſuis, tum moribus, huius mali duæ maximè cauſæ ſunt: Vna, quòd quæcunque apud nos, qui Eccleſiarum reſti-

tutionem

tutionem molimur, praua admittuntur, non tantum ex infirmitate carnis, quæ & uerè Euangelicis hominibus adhęret, sed etiam ex obstinata impietate eorum, qui cum mancipia Satanæ sunt, filijs Dei, uelut zizania tritico, apud nos quoq; immixti sunt, ea omnia Aduersarij isti in ipsam Christi doctrinam, & eius ueros cultores conferunt: Atque ut augeantur etiam hæc peccata totis uiribus elaborant: dum scilicet quantum possunt obsistunt, ne publico Germaniæ consensu & authoritate, & Ecclesiastica, & ciuilis uitiorum & peccatorũ correctio restituatur, & sustineatur. Altera uero causa est, quod Satan per hos ipsos ministros suos, falsa sua dogmata & instituta miris coloribus, à ueris Dei præceptis, & ritibus mutuatis, pingit & adornat: tum doctrinam synceram & ritus probatos, rectáque uitæ officia calumnioſissimis criminibus obruunt & deturpant. Has certe ob causas fit, ut in istis religionis controuersijs, quid uerum rectumq; sit peruidere, ac firmiter dijdicare non difficile modo, sed etiam impossibile sit omnibus, qui non spiritum Iudicij à Domino obnixè orare instant, & cum ipsa Dei lege, diuinis Scripturis, conferre omnia singulari religione studeant, tum etiam non uulgari animaduersione consyderare adlaborant, quos utrinq; fructus ferant, & quo spectare cuiusq; animum, opera & studia testentur. Hoc uero sanctum cum orandi, tum cuncta & dogmata & instituta in Ecclesijs usurpata, ad legem Dei exigendi studium, & hæc dijudicandi synceriter omnia religio, quàm paucorum sit uidemus. Vestris itaque Celsit. quibus Dominus Religionis suę controuersias cum imperio dijudicandas commendauit, hanc curam, & solicitudinem, cottidie orare à Domino debemus, quicunque regnum Christi ex animo quærimus. Sed ad rem

TAM OPTIMI PRINCIPES, ET VIRI prestantissimi, qui Cochlęi audiuistis falsam ac impiam criminationem & calumniam, non tam in me, quàm in Ecclesias ueras Christi, syncerámque religionem Dei, ne grauemini quoque non minus Ecclesiarum nostrarum, & communis nostræ religionis christianæ, atque nominis & ministerij mei, æquam responsionem, atque necessariam purgationem audire. Quod Cochlęus primum mihi criminis loco obiecit, me conatum esse tribus libris persuadere uobis, ut nationale potius quàm generale Concilium, ad reconciliandas & restaurandas Ecclesias Germanicas, celebrare uelitis, fateor me ad Imperatoriam et Regiam Maiestatem, clementissimos Dominos nostros, & uestras celsitudines atque prestantias ædidisse libros duos, & ad Regiam Maiestatem seorsim tertium, In quorum librorum primo, ostendi Concilium de instaurandis Ecclesijs, siue amplum illud, siue angustum instituendum sit, aut commune cum alijs nationibus, siue nostræ tantum nationi indictum, id tamen nullis hominibus, qui Christiano censentur nomine, minus permitti posse, quàm Romano pontifici & ijs Prælatis, quibus solis ille definitiuas sententias in Concilijs dicere, & suffragia ferre concedit: Sed ad restituendas Ecclesias Germanicas, Concilium indicendum esse ab Imperatoria Maiestate, & in aliquem Germaniæ urbem, eámque non liberam tantum, sed etiam alijs rebus necessarijs tractationi rerum Ecclesiasticarum idoneam, cogendū: deligendosq; esse ad hoc uiros, qui ex fructibus perpetuæ uitæ comprobati sint, excellere religione Christi, scientia Euangelij, prudentia rerum Ecclesiasticarum, animi mo-

Contenta in libris M. Buceri quos Cochlęus accusat.

mi moderatione, & concordiæ ſtudio: nulla eiuſmodi ratione habita titulorum, aut ordinum externæ politiæ, ut non tam ex infimo hominum ordine, ſi quis donis ſpiritus eminere uideatur, quàm, titulotenus ſummi Epiſcopi, ad talem ſynodum ſit admittendus. In altero librorum meorum demonſtraui, quàm non magno negocio à tali Concilio Germanię poſsit uera et certa ratio repurgandæ atque reparandæ cum doctrinæ, tum diſciplinæ Chriſti, & inueniri, & firmiter reſtitui, ſi id unum nobis Dominus dederit, ut regnare ipſum ſuper nos ueris animis expetamus. Admonui præterea in hoc libro, quæ ſint præcipua Reformationis Eccleſiarum impedimenta, & quibus illa rationibus remoueri debeant. Obtuli etiam me ad comprobandum coram uobis omnia, & quę his duobus, & quæ alijs libris meis pro religione Chriſti euulgaui, quæque in Eccleſijs paſsim docui, atque in uita & miniſterio meo geſsi. Expoſui denique rationem conſilij & ſtudij mei in quærenda Religionum conſenſione & reconcinnatione. In tertio libello ędidi articulos quosdam Lipſiæ aliquando compoſitos in gratiam Illuſtriſsimi principis Georgij Saxonum ducis, ſpe prouocandi eum ad aliquam iuſtam de Eccleſiarum concilia-tione & Reformatione actionem. Quos articulos eo nunc primum conſilio ędidi, ut patefacerem, quot, quantoſcp abuſus & in doctrina & in diſciplina, ea, quę uulgò adhuc in Eccleſijs Romanum pontificem agnoſcentibus retinetur, Vicelius etiam reprehenderit, et pridem emendandos fuiſſe contenderit, qui tamen haberi Catholicus uult, & nos ut Schiſmaticos oppugnat. Quorum abuſuum cum ne unum quidem corrigere adhuc Romanus Pontifex cum mancipijs ſuis hactenus inſtituerit, ſed

Tractata in ſecundo Buceri libro.

Argumentum tertij libri Buceri ad Reg. Maieſtatem.

Pontificij confeſſos ab ipſis abuſus augent quotidie, non corrigunt. Concilium igitur illis perdendę non reparandæ Eccleſiæ permittendum eſt.

ſed eos indies horrendum in modum augeat, & intoleri-
biliores efficiat, ex eo admonere noſtra capita uolui, ab
iſto hominum genere rerum Eccleſiaſticarum expecta-
re emendationem, perinde eſſe, ac ſi quis pacificationem
uiarum à latronibus, maris, à piratis, & reſtitutionē diſci
plinæ ciuilis expectet à Catilinis & Cethegis, inſtaurati-
onē honeſtatis matronalis à Meſſalinis & Calpiurnijs.

Hæc omnia quæ hiſce libris pertractaui, utinam lecta
& cognita uobis omnibus eſſent, & conſideratum atq;
perpenſum, quibus ea authoritatibus S. ſcripturæ, S. pa
trum, Canonum, & Legum, communique omnium re-
cte ſentientium hominum iudicio confirmarim. In qui-
bus ſi Cochlęus ſe aliquid reprehendere poſſe confidat,
id cur non nominatim propoſuit, & quæ ſuſpicatur uel
ex diuini uel humani iuris authoritate perperam addu-
cta, id demonſtrauit, aut ad demonſtrandū ſe coram uo-
bis ſimpliciter exhibuit, ſine tot anxijs, & fruſtrantibus
conditionibus, quibus id rurſum tollit, quod ficta oblati
one dare uidetur. Me & mea ſcripta multis lacerare con
uitijs, id etiam cuilibet aniculæ ac ſcurræ perfacile eſt: at
ueris docere argumentis, eſſe uitioſa quæ in hac cauſa
profiteor, id nec Cochlęus, nec alius quiſquam poterit.
Non quod ea mihi ſit uel eruditio, uel dicendi peritia, his
enim dotibus cuiuis libenter cedo, ſed q̄ quę adduxi, ni
tantur uerbo Domini, quod etiam tranſeuntibus cœlo
& terra perſtabit. Quocirca fit, ut ſicut Cochlęus, ita cæ-
teri noſtri aduerſarij omnes cum ipſorum capite Ponti-
fice Romano æquum de his controuerſijs iudicium ſem
per refugiant.

Cochlęus ſcur-
riliter conuitia-
tur, nihil refu-
tat.

Cochlęus ſe ad
iudicium offert,
ſed conditioni-
bus quas nouit
obtineri non
poſſe.

Scripſi ſanè & demonſtraſſe etiam me confido omni
bus, qui mea bona fide legerint, & excuſſerint, contule-

rintque candidè cum ſacra Scriptura, cum Scriptis ſ. patrum, Canonibus, Legibus, cum communi iudicio rectæ naturæ, quod non ſint ſub nomine Chriſtiano homines, quibus minus, atque ipſi Romano Pontifici, & obſtrictis illi Prælatis, concedi iure poſsit locus in Chriſtiana Synodo, dicendæ ſaltem ſententiæ, tantum abeſt ut daretur illis poteſtas huiuſmodi Synodos indicendi, in eisque præſidendi, ac ſuæ libidini eas penitus addicendi, Quod unum ſtudet Pontifex Romanus, ut ſuis cupiditatibus obſtrictam teneat omnem Reipublicæ Chriſtianæ Synodum, poſtquàm duobus Concilijs dogma hoc ut hæreticum condemnauerit, affirmare authoritatem Concilij grauiorem habendam eſſe, authoritate ipſius ſolius.

In Synodo chriſtiana nullis hominibus minus loci dandum q̃ Pontifici Rom. et eius mãcipijs.

Pontificẽ eſſe ſuper Concilium.

Quis enim Chriſtianorum, quid dico Chriſtianorum? quis hominum, cui modo aliquid mentis ſit reliquum, dubitet, in Republica qualibet ijs tantum locum dicendi ſententiam patefieri oportere, præſertim in eo Senatu, in quo de reſtituenda Ciuitatis diſciplina ſit deliberandum, qui ſunt ut Reipublicæ amantes, ita etiam legum & inſtitutorum, quibus ſalus Reipublicæ continetur, cum gnari, tũ ſtudioſi, Et ab eiuſmodi Concilio procul eſſe ſubmouendos, quicunque leges & inſtituta Reipublicæ contumaciter uiolant, & conculcant, ut oppreſſa Repub. ipſi populo per tyrannidem dominentur.

Qui uero iudicare & agnoſcere ueritatem omnibus manifeſtam uelit de Romano pontifice, & eius ampliſsimis Cardinalibus, cæteriſque Prælatis, huic ſedi præcipue addictis, is fatebitur, non eſſe aliam ſub Chriſtiano nomine gentem, quæ leges & inſtituta Reipub. Chriſtianæ, Eccleſiæ dei, & impudentius, & pertinacius, non

trans-

Digitized by Google

transgrediatur tantum, sed & immutet penitus & aboleat. Nec ulla unquàm Respub. adeo fuit oppressa à suis, quàm est Ecclesia Christi ab his tyrannis, nec tam fœdæ atq; exitiosæ addicta dominationi, & est in Ecclesiã Dñatus Papæ & suorum. Nã hi Ecclesię Tyranni, nõ solum in res & corpora, uerum etiam in animas imperium inuaserunt, & tale imperium, quod nullis nec legibus, nec iudicijs obnoxium sit, (cuncta enim & cœlestis & terreni imperij iura in scrinio pontificij pectoris inclusérunt) quoq; imperio in certam & sempiternam pernicíem præcipitant sibi addictos. Et ne populus Dei repetere unquàm ius suum cogitet, quod ei filius Dei suo sanguine sanciuit, déque legibus suis restituendis solicitetur, ijsque tamen, quibus ęterna eius salus constat, tyranni isti populum uniuersum ab omni iuris ac legum Ecclesiasticarum lectione & cognitione procul submouerunt. Atque si quid in hoc iure, & legibus legendum paucis quibusdam concedatur (conceditur autem solis Clericis, qui studio legendi sacros libros minime omnium ardent) intellectũ tamen omnem & interpretationem scriptorum ab ipsa Rom. sede petendã esse contendunt.

Quanta Tyrannis Romani Antichristi.

Antichristus Romanus omnem iuris Ecclesiastici cognitionem auertit.

Porro si cui uideatur illud à me æquo durius proponi, nõ esse inter mortales Christi nomine insignitos, qui leges & instituta Reipublicę Christianę æque dissipent, & pessundent, atque Romanus Pontifex, & huius mancipia, is consideret ordine præcipuas, & cum primis necessarias Ecclesiæ Christi leges atque constitutiones, cũmque his conferat uitam & disciplinam Pontificis Romani, & eorum quos ille in suis creaturis inter primos numerat.

Vt deligẽdi & probandi Ecclesiastici.

Ex diuinis literis, ac uetustissimis & perpetuis Eccle-

Act.6.13.14. 1.Tim.3.et 4. Cyp.lib.1:Epistola 4. dist. 62. Nulla. uota.

fiæ Canonibus,ex scriptis S. patrum, ac etiam constitutionibus Imperialibus constat sancitum esse per Spiritum sanctum,nullos in ordine Clericorum,nedum Presbyterorum, & Episcoporum debere admitti, nec in eo tolerari, qui non sint piorum suffragijs ex omni populo Christi in hunc ordinem designati, atque exactissima cum fidei,tum uitæ,atque spiritus exploratione,per grauissimos patres, coram omni plebe Christi, examinati, inuentique & comprobati,quod fide synceri sint & constantes,uita inculpati & sancti, facultate ædificandi Ecclesiam Dei probe instructi,& zelo lucrifaciendi Domino quàm plurimos flagrantes.

Dist.23.&.24. Dist. 49.per to.

¶ Quid Simonia &cẽ seueriter uindicanda.

Sanctum quoque est hæresim admitti Simoniacam, si quis in ullum sacri ministerij locum admittatur,ratione habita alicuius carnalis uel gratiæ uel commodi: & non id unum simpliciter & religiose in omni Clericorum delectu & comprobatione spectetur & quæratur, ut Ecclesijs de fidelibus & utilibus ministris consulatur. Atque hoc scelus Canones adeo detestandum iudicarunt,ut non solum omni ordine Clericorum, uerum tota etiam Ecclesiæ communione dejciant:& leges ciuilibus quoque pœnis subijciunt, tanquàm reos maiestatis, quicunque huic se hæretico crimine obligarint. Atque hæc tanta seueritas non humano, sed iure diuino sancita est,quocirca ab hominibus remitti nulla de causa potest.

1.q.1.per cap. 28. Statuimus usq; in finem. C. de Episcop. et Cler.l. Si quem quam.

Iam autem quotumquenque nobis Cochlæus ex suis Prælatis proferet, qui ista sit religione & cæremonia, quam modo ex diuinis & humanis sanctionibus proposui,in istud Ecclesiastici ordinis fastigium designatus, exploratus,& comprobatus, ad cuius electionem, confirmationem, & inaugurationẽ nulla interceserit pactio, nulla

nulla commodi priuati expectatio, uel collatio, nullum denique ſtudium carnale, nulla ſupplicatio potentum, & ſæcularium hominum: Quarum rerum ſi una admiſſa ſit, Simoniam commiſſam eſſe conſtat. Hanc itaque ſolam legem Reipublicæ Chriſti, ſi, ut par eſt, exigamus, atque urgeamus, quàm uacuum Romanenſibus Prælatis reddemus Concilium Tridentinum, etiamſi maior illic horum turba confluxiſſet, quàm fuerit numerus S. patrum Chalcedone. Pridem enim multa aureorum millia palam, ac uelut iure exiguntuur Romæ ob confirmationes, (quas tamen ipſas illi ui ſibi ſacrilega uindicarunt, ademptas Metropolitanis, & alijs Epiſcopis) ob pallia, ridiculum ipſorum figmentum, nomine annatarum, primorum fructuum, compoſitionum, uariarum diſpenſationum, & mille aliorum generum Simoniacæ cauponationis.

Simoniam imprudentiſs. Ro. ſibi legitimam fecerunt. Can. con. Nic. 4. diſt. 64. Epi.

Sed non minus, iſti Romanæ Tyrannidis complices ſacra miniſteria conculcatis palàm omnibus Eccleſiæ Dei legibus peruertunt iam occupata, quàm inuadunt peruertenda. Leges Eccleſiæ requirunt ut prælati omnes, & totus Clericorum ordo uacui ſint omni cura rerum ſeculariũ, & quiſq; uni tantum Eccleſiæ addictus, niſi ad plurium Eccleſiarum miniſteria ſingularis populi Chriſtiani neceſſitas pertrahat: Tum ut quiſque apud ſuam Eccleſiam reſidens, miniſterio ſuo totis uiribus incumbat. Religio uero S. miniſterij requirit, ut Epiſcopi cum toto reliquo Clero, id ſummo ſtudio procurent, & efficiant, ut populo quoties in nomine Chriſti conueniat, D. ſcripturæ, & ſolæ, & q̃ grauiſſimè prælegantur, & cuiq; populo in ſua lingua, tum etiam fideliſſimè explicentur, adeoq; quoad fieri poſſit, familiares reddan-

diſt. 88. diſt. 70. 21. q. 1.

7. q. 1. De Cler. non reſid. Religio S. Miniſterij. Lectio ſcripturarum omniũ. 1. Cor. 14. Can. Con. Lao dic. 16. 17. 18. 19. Chartag. 14. Syn. 6. can. 19.

Digitized by Google

reddantur, ut eas singuli domi legãt, uersentq; manu diurna & nocturna: Vniuersa uero scripturarum interpretatio & explicatio eò instituatur & perficiatur, quo uiua peccatorum pœnitentia in auditoribus excitetur, fidésque in Christum & corroboretur, & ad sua officia impellatur.

Interpretatio scripturarum.

Ita de Sacramentis requirit religio muneris sacerdotalis, ut illa administrentur summa cum religione, ac per omnia, ut ea Dominus ipse instituit: ut dispensentur sanctis tantum atq; probatis, quoad hi cognosci possunt, et dispensentur Clero ac populo pariter, & utrisq; integra, atq; grauí semper & perspicua totius mysterij salutis nostræ adhibita prædicatione, adiunctisq; precibus, atq; gratiarum actionibus & sanctissimis, & à præsentibus omnibus intellectis.

Administratio Sacramentorũ 1. Cor. 11. Laodic. 19. Can. Ap. 8. & 9. Con. Antioch. 2. De con. dist. 1. omnes. Authent: 123.

Disciplinam poscit eadem S. ministerij religio ita exhiberi, ut paterna & uere pastoralis cura omnibus impendatur, quo à peccando singuli quoad fieri potest, custodiantur, & ad officia quisq; sua excitentur, & si quis labatur, ut in uiam statim reuocetur, ad uerã scilicet peccati agnitionem, pœnitentiam, confessionem, & emendationem cõmotus: Sicq; peccatum grauius sit, ut abstentionis à cõmunione fidelium, cæterisq; declarandæ pœnitentiæ uinculis, is qui peccauit, iusto tempore, ligetur, nec ante illis uinculis soluatur, & ad mensæ Domini cõmunionem admittatur, quàm Ecclesiæ solidam peccati sui pœnitentiam, & constantem uitæ suæ emendationem approbauerit.

Disciplina pœnitentiæ. Cyp. lib. 1. Epist. 3. August. Enchir. c. 65. De pœn. dist. 3. per totum.

Quod attinet ad S. oblationum sacrificium, postulat eadem sacri ministerij ratio, uti ad offerendum Domino de donis eius fideles Christi diligẽter inuitentur, sed ut non

Religio offerẽdi & oblata dispensandi.

Digitized by Google

diligentia id quoq; curetur, ut quæ pie
anonice dispensentur, ad sustentandum
gandum sacra Ecclesiæ ministeria, atq;
m egentium necessitatem, cum priuatam
ac quicquid in alium usum conuertatur,
m, sicuti est, habeatur & coerceatur.

Can. Ap. 41. Con. Antioch. 25. 12. q. 1. Epus. 16. q. 1.

bus ita sancitum est: ut festos dies homi-
nino sanctificent, abstrahentes se, non mo
d semel ab omnibus præsentis uitæ nego
o cultui se penitus addicant. Vt frequẽtes
sacros cœtus, ibiq; uerbum Domini prom
udiant, Sacramenta religiose percipiant,
ndant, oblationes largè cõferant. Et si mar-
umq; præstantium seruorum Domini me-
rentur, ut fiducia in Christum Dominum
artyrum, non in martyres ipsos excitetur, &
ur.

Vt festi dies Domino sanctificandi.

um celebranda sunt, ut pœnitentiæ actioni-
toti incumbant, carnemq; suam, peccati se-
serio humilient & crucifigant, non à certis
orum generibus, sed à cunctis delitijs & oc-
ous uitæ huius abstinentes.

Vti ieiunandũ De con. dist. 1. Solent.

onia uero templorum sic comparata est, ut lo-
nibus consecrata tantum actionibus religio-
nt, nullis prophanis uel rebus uel actionibus
nentur.

Verus usus Templorum.

functis constitutum est, ut horum exequiæ ita
ntur, quo in presentibus peccatorum pœniten-
ortificatio excitetur & perficiatur, spes & ex-
o resurrectionis firmetur & corroboretur, &
œlestis uitæ accendatur. Cætera signa, ritus,

Piæ defunctorum exequiæ.

& actiones Ecclesiasticas sic instituere, & temperare in officio est Sacerdotum, ut nihil in his rebus sit ocioſum, nihil frigidum, multo minus aliquid superstitioſum, sed omnia eo aliquid conferant & agant, ut fides in Christũ incrementum accipiat, & dilectione sese cunctisq; pietatis & sanctimoniæ officijs quam uberrime explicet, & ad gloriam Dei, Ecclesiæq; totius ædificationem fructificet. Deniq; ad conseruandam religionem Christi in clero & in populo, hoc quoque constituum est, ut Synodi atque Ecclesiarum inspectiones suis temporibus fideliter & syncere habeantur, quibus quæ uitia in uitã, uel ministeria clericorũ aut populi irrepserint seueriter corrigantur, & tota Christi disciplina in clero & populo confirmetur.

Vſus cæterarũ Cęremoniarum Eccleſiaſticarũ.

De Synodis & uiſitationibus Eccleſiaſticis.

Hæc muneris Episcopalis, & Ordinis Clericalis religio, hæc disciplina sancita est ipso uerbo Dei, sancita traditionibus Apostolicis, sancita omnibus S. Canonibus, & piorum principum legibus.

At quid huius disciplinæ & religionis cernitur reliquum in pontifice Ro. & uniuersa turba prælatorum, qui illum adorant? Quid dico reliquum, imò quid non est plane in contrarium peruersum? Quis Episcoporum apud suam Ecclesiam residet, omni rerum mundanarũ cura uacuus, & summis Episcopalis muneris operibus per se incumbens, prædicationi scilicet Euangelij, Sacramentorum administrationi, & disciplinæ Ecclesiasticæ procurationi. In aulis potius principum instar Satraparum magna pars eorum uersatur, & regum negocia tractat, aut si tantæ, tamq; liberæ sunt Ecclesiarum quibus dominantur ditiones, regias aulas ipsi fouent, & curas administrant. Quod tamen præstat eos facere, si

Vt diſſipata eſt omnis muneris Sacerdotalis diſciplina in Pon. R. & eius mancipijs.

modo

modo ueris curatoribus Ecclesias, non destituerent, quam nihil, sicut plerique, aut certe opes Ecclesiarum in fœdissimas profundere uoluptates, quod plurimi illorū facere consueuerunt.

Sed solenne hoc est ferè omnibus, Ecclesias quidem addicere sibi quam possunt plurimas, easq; despoliare acerrime, ministros uero illis perficere, non qui sacri ministerij, uel scientia, uel studio alijs antecedāt, sed qui minore se patiantur conduci stipendio. Hi, ut manifestas sacrorum caupones facere consentaneum est, religionē sic administrant, ut homines non Christo Domino pietate, sed ipsis fructuosi sint largitionibus.

Lectio Scripturarum à populo sublata.

Tam procul abest, ut hi sacros libros curarent populo Christi in templis prælegi, ac ita explicari atque commendari, ut singuli illos ipsi domi haberent, & pie legerent, quod etiā populū subducant per ignotā linguam à cognitione eorum, quæ quotidie in templis suis ex sacris literis tractantur, qua peruersitate tot iam sæculis Deo & populo Dei horrende illudunt, Imò conantur plærique eorum nunc hoc etiam efficere, (idque non pauci iam effecerunt,) ut capitale sit, si quis ex plebe sacros libros in sua lingua habeat. Nonnulli ne id quidem cōcedunt laicis, ut orationem Dominicam, Symbolū fidei, & Decē præcepta, sua uernacula lingua dicant.

Ne orationem quidem Dominicam & Symbolum fidei homines permittūtur sua lingua dicere.

Quemadmodum enim Dominus noster Iesus Christus in hoc mortuus est, & resurrexit, regnoq; ad dexteram patris inito, spiritum sanctum, alterum Ecclesiæ paracletum, misit, ut Euangelion regni eius, Euangelion uitæ æternæ, prædicaretur omni creaturæ, cunctis gentibus & populis, ac ita prædicaretur, ut magnifica Dei opera ad salutem omnium per Christum effecta, audi-

Acto. 2.

Digitized by Google

rent singuli sua lingua, in qua nati sunt: ita isti Romanenses prælati hoc laborant, & hac de causa quos possunt, D. scripturarum inuulgatores & confessores interficiunt, ne laici sacros libros uel audiant, uel legant, ita scilicet ut intelligant. Clausum esse uolunt regnum Dei, ne illud alij, cum ipsi nolint, ingrediantur.

Ad paucos, & ipsis contẽptos, interpretationẽ scripturarn Prælati referunt.

Inde uniuersum Religionis nostræ iudicium ad paucissimos referunt, & eos, quos alioqui habent planè contemptui & derisui, ad fratres Cucullatos, & Magistros nostros: quorum tamen responsis nullam, nisi ipsorum constabiliant infinitam potentiam, authoritatem tribuunt. Hi ergo fratres, & Magistri nostri, ut magisterium eius, qui nobis præcepit, ne uocemur Magistri, cum ipse unus sit Magister noster, penitus soluant, cõdunt nouos de Religione articulos, non solum nullis confirmatos scripturarum authoritatibus, nullis comprobatos rationibus, sed planè contra omnem & scripturam & rationem, ceu Alcoranũ quẽdam: eosq; summis potestatibus obtrudunt sanguine piorum sanciendos, idque sua impudenti hypocrisi, ac improbitate nonnunquam efficiunt & obtinent.

Matth. 23.

Noui Alcorani.

Ne opus ingeniis aut studio sit, religionẽ totam addicunt re spõsis sedis Ro.

Et quo hanc sibi authoritatem & amplitudinem sine ingenio, sine labore studiorum diu conseruent, Sedi Romanæ fidem & religionem omnem addicunt, cum nusquam gentium sit maior & horribilior Dei ignoratio, & manifestior contemptus. Tum huic Sedi isdem fratres & Magistri nostri tribuunt, errare eam in his quę fidei sunt, nõ posse, eoq; credendum esse necessario, quicquid hęc Sedes de Religione unquam tradidit, tradit, & traditura est, quod Louanienses Theologi nuper additis articulis suis, palàm affirmare ausi sunt.

Louanienſiũ blaſphemia.

Horum

Horum pſeudotheologorum ſuperbiam & audaciã pont. Ro. & Epiſcopi ſtudioſe fouent. Nam nec adeo multum in ijs fouendis inſumi neceſſe eſt: facile enim eſt unum & alterum, uel quinque aut ſex tales magiſtros noſtros prębendis implere, cum eis ſpecies aliqua frugalitatis atq; moderationis retinenda ſit, nec fas ſit reſerua tam Cardinalibus & Epiſcopis pompam & amplitudinem expetere. Interim tamen his, ceu in ſpeculis huius tyrannidis conſtitutis, Pontifex, Cardinales, & addicti his Epiſcopi & prelati, ſua illa, quę totus mundus cernit & deplorat, negocia ſecure perſequuntur. Hoc autem pacto doctrina ſalutis à populo Dei tota ſublata eſt. Laici enim eam nec ipſi legere, nec ab idoneis lectoribus & enarratoribus audire, & diſcere poſſunt: quin etiam pœnis capitalibus adiguntur, ut ea pro oraculis amplectantur & ſequantur, quęcunque mancipia Sedis Ro. pro confirmanda & augenda huius Sedis potentia & nequitia confinxerint.

Nec minus ſpoliatur populus Dei per Pontificem Ro. & addictos illius peruerſitati reliquos prelatos, uera adminiſtratione Sacramentorum: nam ſicut in doctrina, ita etiam in procuratione Sacramentorum uerbis & inſtitutis Domini aliena multa admiſcuerunt, & quę Dominus tradidit, partim mutilarunt, partim peruerterunt, tum omnia muta reddiderũt, adminiſtrantes ea ſermone qui populo barbarus eſt: denique omnia turpiſſima nundinatione, atque horrenda ſuperſtitione cõtaminarunt: quod in omni quidem Sacramentorum tractatione, pręcipue autem in Miſſis eorum cernitur. Peruerſio Sacramentorum. Peruerſio S. cœnæ.

In his uerbis & inſtitutis Domini, contra aperta prącepta Domini, contra traditionem Apoſtolicam, cõtra

omnem priſcę Eccleſię obſeruationem,hęc adiecerunt, Confictam illam Chriſti oblationem pro uiuis & mortuis, Tranſubſtantiationem panis & uini in corpus & ſanguinem Domini, Tot miſſarū ſpectacula in eodem templo, eodemq; tempore, & coram eodem populo, Facilitatem admittendi ad has Miſſarum ſuarum pompas, cum ſpectandas, tum adminiſtrandas, homines quamlibet ſceleratos & flagitioſos, Nouū illum cultum Sacramenti ad adorationem oſtēdendi, proſtituendi, & circū ferendi, Omnem denicq; illum perſicum luxum, quem in ueſtibus, ſignis, omniq; apparatu in Miſſis ſuis exhibent. Hæc enim omnia non ſolum nulla Scripturarum authoritate, nulla Apoſtolorum traditione, nullis ueteris Eccleſiæ exemplis, ſed contra hæc omnia excogitata, & in Eccleſias inuecta ſunt, quo nouum illud ſuum Sacerdotium, conficiendi, & offerendi Deo patri pro uiuis & mortuis, non autem diſpenſandi fidelibus corpus & ſanguinem Domini, auguſtius, & inde etiam honoratius ſibi, & quæſtuoſius efficerent.

Quibus humanis commentis S. cœnam Dñi cōtaminauerūt.

Quid patribus offerri Chriſtū.

Legitur quidem alicubi apud S. patres Chriſtum in ſacræ Cœnæ adminiſtratione offerri patri pro populo, (quo tamen ſermone uſi rariſsime ſunt, ſæpius dicunt offerri Chriſtū populo) per id tamē nihil illi aliud intelligunt, quàm prædicari & exhiberi populo in hac cæremonia mortem Chriſti, ſacrificium in cruce peractum, in gloriam patris, & ſalutem populi. De eo uero oblationis genere, de quo Sacrificuli hiſce poſtremis ac peſsimis Eccleſiæ temporibus gloriantur, eóque prætextu omnes mundi opes & potentiam ad ſe pertraxerunt, S. patribus nunquàm in mentem uenit.

Quod autem Miſſas ſuas Ro. Pontifex, & eius mancipia

cipia celebrant absque communicantibus, quod calicem Domini nec communicantibus quidē dispensant, quod lectiones sacras, preces, & gratiarum actiones barbara populo lingua peragunt, eáque insana peruersitate hæc diuina mysteria populo occultāt, his manifestè institutū Domini in hoc Sacramento mutilant & peruertunt. In quib. S. cœnā Domini mutilarunt.

De fœdissima Missarum nundinatione, & horrenda superstitione, quam per illas in uulgo fouent, ut homines putent se, si Missas uiderint, & Missantibus aliquid contulerint, plurimum esse apud Deum meritos, etiamsi in manifestis perseuerent sceleribus & flagitijs, quid attinet dicere? quum constet nullum esse omnino scelus, in quod Prophetę Domini inuehātur acerbius, et quod Deus ulciscatur pœnis magis horrendis, atque cum sacra eius, homines suis prostituunt cupiditatibus, & patrocinium ab eis petunt scelerum suorum, perseuerantes absque uera peccatorum pœnitentia, citra fidelem ex toto corde ad ipsum conuersionem? Nundinatio & superstitio Missarum.

Vt uero Missas suas, sic & cætera Sacramenta, atque cæremonias omnes Romanenses isti Sacerdotes huiusmodi nouis & impijs figmentis contaminarunt, mutilarunt, peruerterunt, atque Sacrilegæ nundinationi & superstitioni prostituerunt. Reliquorū Sacramentorū & cęremoniarum peruersio.

Sed nec tolerabilius comparata est apud eos & disciplina pœnitentiæ. Si enim homines confiteantur peccata sua Sacerdotibus, & absolutionem ab eis redimant, & indulgentias, iam satisfactum est hisce pastoribus de pœnitentia, tam solicitis scilicet ad purgandos homines peccatis, & uitā eorum reipsa emendandā, quàm sunt anxij de proprijs corrigēdis flagitijs, & uita sua sanctificanda. Peruersio disciplinę pœnitētię.

Excommunicationem non contra scelera & flagitia, sed in Peruersio excōmunicationis.

Digitized by Google

sed in eos exercent, qui sanam Christi disciplinam conantur restituere, eóq; ipsorũ audent aduersari tyrannidi.

Quæstus indulgentiarũ Hispaniensis.

Conficias satisfactiones, quas homines non Missis ipsorum, & quæ similia imperant, operibus expiarint, condonant redimentibus ipsorum indulgentias, quas alicubi etiam compellunt homines redimere, eáque re maximum & sibi, & alijs quæstum faciunt.

Peruersio Sacrarum oblationum.

Oblationes uero sacras bone Deus quo & peruerterunt & abripuerũt? Vt hæ quam largissime cõferantur homines quidẽ sedulo allíciũt, sed nõ ut Deo soli eas offerant, nec ut ei gratuito, nec deniq; in eum usum, in quẽ solum Dominus nostras oblationes requirit. Vulgo enim persuaserunt offerre quàm plurima Diuis, quod

Con. Faustum lib. 20. cap. 21.

D. Augustinus idololatrię propriũ facit. Deinde mercenarias fecerũt oblatiões, ut homines nihil fere offerant, nisi pacti certa quædam à Deo ac Diuis beneficia, præsentis & futuræ uitæ, maximéque liberationem ex purgatorio suo. Postremo non docuerunt istas oblationes

Deut. 14. 12. q. 2. & 16. q. 1.

fieri, ut inde alerentur Leuitæ, administri religionis, & doctores pietatis, uiduæ, pupilli, peregrini & pauperes, ut Deus ipse distribui sacra Dona præcepit, & Canones secuti uerbum Domini sanciunt: sed ad superbas substructiones, & exornationes templorum, Monasteriorum, Altarium, Statuarum, & ossium, ad præbendas & quotidianas stipes pro Missis, & alijs non intellectis cantionibus, adq; locupletanda his dedita Cœnobia.

Quæque donata olim fuerunt, & nominatim etiam pro S. Euangelij ministerio, pro Scholis, pro sustentationibus uiduarum, pupillorum, morbidorum, peregrinorum, & aliàs egentium, ea multis in locis in alias barbarorum cantorum præbendas, & otiosarum prælaturarum

rarum reditus conuerterunt, Quas prælaturas atq; præbendas, contra tot suos ipsorum etiam Canones, portentose accumulant, quicunque inter eos tantum consecuti sunt uel gratiæ apud Principes, uel artium Romanensium aduersus competitores. Egenis tantum ferè hinc decidítur, quantum ad obsoleta scorta, ueteranos Lenones, aliosq; uolupratum uel uetulos, uel morbidos administros peruenit. Taceo hic propter pudorem Germanorum, in quos redundet benignitas patrum purpuratorum, ipsorúmque Pontificum, ac reliquæ sentinæ Romanæ.

Vt uero hi Antichristi cætera S. Ministerij omnia, ita etiam consecrata peculiariter religionibus tempora miserum in modum peruerterunt. Nunquam enim Deus uulgo grauius offenditur, & à Clero & à populo, cum intra, tum extra templa, quam ijs diebus, qui diuino cultui sunt præ alijs dicati, nec quicquam adeo durum in Iudæos olim dictum est per prophetas, in diebus Deo consecratis suis deseruientes superstitionibus & cupiditatibus, quod non multo durius in nostras ferias & solennitates dici conueniat. Peruersio Festorum. Iesa. 1. & 58.

Memoriæ martyrum, quibus ueteres utebantur ad excitandam in populis fidei, quæ in Martyribus eluxit, imitationem, conuersæ sunt in horrendam idololatriam, quam in imane auxerunt confictis reliquijs, sua Canonizatione auctis.

Peruersio Iciuniorum.

Ieiunia in merum ludibrium Dei conuersa sunt. Si enim nullę edantur carnes quadrupedum & uolucrum, nulla oua, nihil lactis, & eorum ciborum qui ex lacte cõficiuntur, & loco prę sumptæ in prandio cœnæ, bellaria tantum quædam, & repotia sumantur, quicquid delitien-

d tur &

tur & cibo & potu, cum in prandio, tum in non inani illo cœnæ simulacro, seuere tamen ieiunatum est. Quale ieiunium indicunt persepe, atque hoc sub peccato mortali, at qui illud obseruent, ij in nullo hominum ordine existunt rariores, quam ipsorum, qui illa indicunt. De solida peccatorum pœnitentia diebus ieiuniorum præcipue excitanda & exercenda, de conuentu ad sacras lectiones, preces, de Sacramentorum cõmunicatione, de pijs oblationibus, quibus actionibus ueteres uere Christiani ieiuniorum dies totos impendebant, uespera primum, & necessariam tantum corporis recreationem admittentes, quotusquisque nouit aliquid, nedum curat, etiam ex ijs, qui ieiunij religionem colere præ alijs uideri contendunt, seuerioribus Monachis, ipsisque Carthusianis?

Prophanatio Templorum.

Templa in infinitum auxerunt quidem, & sumptuosissime exornarunt, uerum non superstitiosis tantum, sed etiam prophanis & impijs sermonibus & negocijs ea patefaciunt. Tum horribilem in modum ea statuis & imaginibus, ijsq; & mendacibus, luxuriosis, & impijs, tum etiam irreligiosis nundinationibus replent & contaminant. Defunctorum exequias eo peruerterunt, ut plus pridem negocij sibi assumpserint in mortuos liberandos ex suo purgatorio, quam suscipiant in uiuos seruandos à gehenna. Atq; eo, quod spem hanc hominibus fecerunt, se illos Missis, ac reliquis suis cęremonijs, ut cumque uiuant & moriantur, tamen ad cœlos subuecturos iam mortuos, tam ingentes sibi his præstigijs opes congesserunt, quæ mercedi ipsis sunt, quod miserorum hominum fiduciam à Christo Domino ad sua mortuaria, & à studio repurgandi per pœnitentiam peccata,

Peruersio Exequiarum pro defunctis.

Digitized by Google

peccata, ad peccandi ſecuritatem traduxerunt.

Iam de diſciplina communis Cleri, qua reliqui populi Dei diſciplina cõtineri neceſſe eſt, quid omnino, præter nomina, & ridiculas pompas ſupereſt? Nulla reliqua eſt in ulla Cleri ſcelera & flagitia Canonica animaduerſio, quantũlibet manifeſta illa ſint et immania. Simonia, & confeſſa Sacrilegia in emendis & uendendis ſacerdotijs, & periuria quæ admittuntur in reſignationibus, & commutationibus, numerari in peccatis deſierunt. Cauponatio doctrinæ ſacræ, Sacramentorum, & cęremoniarum omnium licitus habetur quæſtus. Venationes & aleæ pro honeſtis oblectamentis deputantur magnorum prælatorum. Ebrietates, ſtupra, & adulteria Cleri ridentur. Quid? in nullo omnino mortalium ordine admittuntur licentius flagitia atque ſcelera, tum impudentiora, tum atrociora, & minus contra ea exercetur correctionis & iudiciorum, quam in ordine clericorum.

Diſciplina omnis profligata.

Impunitas omnium ſcelerũ & flagitiorum.

Nam Synodorum, & annuarum inſpectionum & viſitationum alicubi ne nomen quidem ſupereſt, alicubi uerſa hæc ſunt partim in diſſoluta conuiuia, partim in occaſionem compilandi pauperes. Interim ordinarijs iudicijs communium Magiſtratuum omnino exempti ſunt, ne ulla eos à peccando cohibeat animaduerſio.

Quid opus uerbis? Orbis nouit & deplorat ueriſſimum eſſe, quod Pontifex Adrianus in comitijs Norimbergenſibus confeſſus eſt, à capite usque ad plantam pedis, nihil ſani ſupereſſe in toto Cleri corpore, & à capite, Ro. Sede, tabem hanc in uniuerſum reliquum Sacerdotalis ordinis corpus dimanare. In hac enim ſede palàm

Confeſſio ueriſs. Pon. Adriani de corruptiſſimo ſtatu curiæ Ro. & eius Cleri uniuerſi.

ridentur, qui prouidentiam Dei in res humanas, & resurrectionem mortuorum credunt. In hac, sacra omnia sceleratissimis auctionibus ueneunt. Hic Schola est exercitatissima omnium fraudum, & peruertendi iuris officina: Huic omnes leges & Canones Ecclesię retia sunt pecuniarum, & claui impiæ dominationis. Hic omnium, & infandissimarum libidinum impudentissima professio, adeo ut scortis abuti honestum apud eos habeatur, Quamobrem sanctissimus pater nō dedignatur fouere in suo tributo multa meretricum millia: ex quarum mercede non tantum ditatur, ipsis uiuentibus, & quæstum pudendum facientibus, sed succedit etiam heres concedētibus illis ad se digna supplicia: Nec enim est huic terreno Deo merces prostibuli abominationi, ut Deo cœlesti, sed gratum lucrum ex re qualibet.

Deut. 23.

Atq; hæc tanta, tāq; atrocia, & immania Ecclesię mala non cæperunt nuper, sed multis iam sæculis inuetera-
runt, ac quibusque sæculis noua & horribilia accepe-
runt incrementa. Et hodie, quamquam Dominus nobis
suas Scripturas, & cuncta S. patrum monumenta tam
benigne restituerit, tantaq; ui ubique, etiam inuitis inge
rat, uerbis & scriptis, adijciat etiam dira calamitatum fla
gella, ac minas adhuc grauiores, tamen non solum nihil
illorum quantumuis confessorum scelerum & flagitio-
rum, isti, Pontifex, & quos addictos suæ peruersitati il-
le tenet, corrigere in animum inducunt, sed unum hoc
moliuntur, hoc laborant, in hoc se, & omnia sua impen-
dunt, ut nos, qui de correctione tam importunæ impie-
tatis, & peruersitatis admonemus, qui ad Reformatio-
nem Ecclesiarum exhortamur, è uiuis tollant, & nostris
exemplis ab hoc ausu cæteros absterreant.

Pont. Ro. mala omnia quotidie auget.

Admonētes de Reformatione interficiunt.

Nec

Nec enim ullam aliam contra nos causam habent. Quid enim criminantur nos? Quod filios Dei ab humanis figmentis ad diuinam ueritatem reuocamus, ad Sacras Scripturas, quas ipsi prorsus eripere populo Dei laborant, & suos pro illis Alcoranos obtrudunt? Quod docemus Deum per Christum Dominum, non mortuos homines per sua esse merita nobis inuocandos, quorum ipsi cultum, & inuocationẽ, quia quæstuosa eis est, plus commendant hominibus quam Dei? Quod Sacramenta, ut Dominus instituit, religiose, & ea integra, atq; intellecta, & ad incrementum fidei in Christum administranda esse contendimus, & sumenda, cum ipsi ea uelint exhiberi ac percipi mutila, non intellecta, irreligiose, & ad confirmandam operis externi fiduciam, existimationi ipsorum & quæstui seruientem? Quod uera requirimus bona opera, quibus iuuentur filij Dei, illi, quibus saginentur ipsi, ornentur statuæ, & ossa mortuorũ? Quod castitatem coniugalem malumus, quam impudicitiam omnis generis sub falsa professione cœlibatus, cum ipsi Clericis suis quaslibet libidines impunè concedunt, modo nullas habeant mulieres legitima coniugij coniunctione sibi cohærentes? Quod Clericos requirimus, qui non dicantur tantum, sed sint etiam portio Domini, & habeant ipsum portionem suam, pascendisq; gregibus Domini sese totos impendant, cum ipsi malunt inanibus titulis, & peruersis lectionibus ac cãtionibus locũ Cleri occupare, & bona Ecclesiarũ abligurire?

Controuersiæ inter Christianos & Pontificios.

Nec .n. alia sunt quę cõtra nos habent. Nam q̃ de nullis ueris criminibus accusare nos possunt: ex eo satis ipsi demonstrant, quod iam totos uiginti quinque annos à nobis prouocantur, ut legitimo nobiscum experiantur iudicio

Pontificij legitima iudicia cũ Christianis sup uiginti quinque annos defugiũt.

Digitized by Google

iudicio, nec tamen audent in lucem prodire. Cum itaque ad hunc modum res habeant, ut in orbe terrarum non sint, quorum cogitationes, consilia, studia, & actiones omnes magis aduersentur Christo, magisq; repugnent legibus & institutis Dei, idque sit adeo in toto orbe, & tot iam sæculis manifestum, & planè notorium, nec sint etiam qui crudelius seuiant in omnes eos, qui doctrinam synceram Christi reuocare annituntur, quis non uideat nullos esse Christiani nominis, quibus minus credenda sit de religione constituendi facultas, quibúsque minus permitti possit, ut in Concilio Ecclesiastico sedeant, nedum ei præsint, suisque cupiditatibus obnoxium habeant, uti hæc sibi sumunt Pont. Rom. & eius mancipia. Nec fingi certè ulla potest ratio, qua nos purgare possemus de prodita gloria Christi & salute Ecclesiarum, si Concilio tali, quale Tridentinum istud est, causas Religionis committeremus, in quo scilicet solus Pontifex Rom. omnia potest, & eos solos admittit ad dicendum sententias definitiuas, quos ipse uult, et suæ Tyrannidis fautores habet, quique præterea eam sibi potestatem uendicat, ut quicquid in Concilijs etiam recte fuerit constitutũ, pro suo possit arbitratu rescindere et mutare.

Cõclusio. Nullis minus atque Pont. Ro. & eius mancipijs posse committi Synodũ Ecclesiasticã.

Hæc confutet Cochleus, si potest, & hanc si ualet Conclusionem, quam in libris meis, quos accusat, latius explicaui, hic autem breuiter contractam illi obijcio, dissoluat. Quò quisque studio Domini nostri Iesu Christi magis instructus est, & ardet: hoc magis idoneus est, qui locum habeat in Concilio, in quo agendum sit de restituendis Ecclesijs. Et quò alienior quisque ab hac scientia, & uoluntate deprehenditur, hoc magis habendus est ad Concilium huiusmodi ineptus. Non uiuunt sub titulo Christia-

Digitized by Google

Christiani nominis, qui magis uacui sint omni peritia & uoluntate, Ecclesias Christi reparandi, imò nulli magis aduersarij sunt omni doctrinę & institutis Christi, & Ecclesiæ eius, quàm Pont. Romanus, & qui ipsius peruersitati adhærent, Prælati. Nulli igitur longius ab omni pia Synodo sunt remouendi, quàm hi ipsi: qui soli uolunt Synodos Ecclesiasticas sibi habere planè obnoxias.

Demonstratio breuior: Nullos minus ad Concilij Ecclesiastici posse admitti, atque Pont. Ro. & eius mancipia.

Assumptionem iam demonstraui, explicatis legibus & institutis Ecclesiasticis de religione & cærimonia muneris Sacerdotalis, déque ijs peruersitatibus, quibus Rom. Pont. & eius mancipia refixis & conculcatis Ecclesiæ legibus ac institutis, omnem Sacerdotalem disciplinam penitus euerterunt. Offero autem me eadem probaturum amplius coram clarissimis uestris Celsit. cum per euidentes Dei Scripturas, per certę authoritatis scripta S. Patrum, per indubitatos Ecclesiæ Christi Canones, & piorum Imperatorum Leges, tum per ea quę notoria & confessa sunt, ac conspiciuntur ab omnibus, in omni uita, & administratione Pontificis, & eorum Prelatorum, qui eius Tyrannidi sunt addicti.

Qui p addictis Pō. Ro. habēdi.

Addictos autem Tyrannidi Pont. Rom. uoco eos, qui nullam, quamlibet manifestorum uitiorum, correctionem uolunt admittere, sed potius augere illa student, & id unum agunt, ut omnis ratio ea corrigendi excludatur, & pernitiosus hic Dominatus in populū Dei confirmetur, ita, ut uidemus Pontifices Rom. multis iam sæculis obstinatissimè facere. Vos enim Reuerendissimos Germaniæ Proceres & Prælatos, quibus ciuilem in tantas ditiones administrationem Dominus tradidit, & in Senatu Germanici Imperij tam sublimem locum dedit, spero memores fore germanici sanguinis, auitæ simpli-

Officium Episcoporum Germaniæ.

Digitized by Google

simplicitatis,& rectitudinis,ac salutem patriæ,quæ tota à religionis & Ecclesiarum restitutione pendet, longè præposituros esse fœdissimo,& toti Christiano orbi pernitiosissimo dominatui Rom. Pontificis. Cum enim ius iurandum non possit esse uinculum impietatis, debetis agnoscere uos esse iuratos Sanctæ Rom. Ecclesiæ, & eius Episcopo uero patri, Canonice ingresso, non impurę sceleratorum hominum feci, quæ modo hanc urbem tenet, non eius deterrimo Tyranno, qui sedem hanc conculcatis legibus & Canonibus inuasit, Eóque uestri esse officij meminisse oportet, ne ullum aut factum aut consilium approbetis, quo uerus S. Rom. Ecclesiæ papa & pater, ulla in re damnum accipiat, sed potius operam detis, ut & Ecclesia Romana, & aliæ, tam scelerata, et exitiali tyrannide eorum, qui Romanam sedem per summum nefas occupant, aliquando liberentur. Id enim est uerum Ecclesiæ Rom. papatum defendere, & uindicare, quod iurastis. Nec enim ignoratis in Christi regno, in regno ueritatis, in Ecclesia Dei, columna & firmamento ueritatis, nihil esse metiendum, nihil æstimandum falsis titulis, quibus in omni uita & administratione nihil non est prorsus contrarium. In legibus, in iureiurando, in pactis Ecclesiasticis, Episcopus & Papa intelligendus est, non qui dicitur, sed qui est, non Ecclesia, quę hoc se nomine uendicat, sed quæ ueris fidei in Christum fructibus comprobatur id esse, quod audit. Hæc confido uos, Germaniæ proceres, qui Episcoporum loca tenetis, cogitaturos, & Christum Dominum, Antichristo libenter anteposituros: & inprimis reputaturos esse, quid Ecclesijs uestris, quid toti Germaniæ, dulcissimæ patriæ, quid uniuersæ Ecclesiæ Dei debeatis, nec quicquam pensi ha-

Explicatio Iuramenti Episcopalis. De iure iurando.

In Ecclesia nullũ habẽt locum inanes tituli. Episcopus & Papa nomina sunt S. actionũ, nõ ociosarum dignitatum.

Digitized by Google

si habere quid à uobis requirat falsa obiectione iuramẽti, hostis Ecclesiarũ summus, Pont. Ro. Antichristis. n. nihil potestis debere, qui Christo estis consecrati. Quò magis considerabitis, quemadmodum ipsi summo animarum nostrarum pastori & Episcopo, suum ius, suus honor, & ipsius uniuerso gregi, ac cunctis Ecclesijs ea restituatur Sacrorum procuratio, quam Dominus ipse instituit, et quæ sola est salutaris. Non itaque uos, nec ullos alios antistites, qui salutare Christi regnum Romanæ libidini præferunt, qui uitia ordinis Ecclesiastici & cognoscunt, et emendata cupiũt, inter ministros et addictos Rom. Tyrannidis numero. Illos autem à Concilijs Ecclesiasticis reijciendos affirmamus, qui cũ existimẽt se suas opes et pompas, reformatis Ecclesijs retinere non posse, nisi & prodita patria, & proditis Ecclesijs Dei, mancipia sese addicant Ro. Tyrannidi, hoc moliuntur, ut omnis uitiorum Ecclesiasticorum auertatur animaduersio et correctio, et ut excindantur funditus, qui talem emendationem cupiunt. Atque in eo nemo sanè nobis ulla poterit ratione contradicere, nisi pilei, mitræ, sellæ, & alia Ecclesiasticæ tyrannidis insignia, falsum effecerint illud dictum Christi seruatoris: Non legunt uuas de spinis, aut ficus de tribulis. Arbor putris bonos fructus non facit. Spiritus S. Spiritus ille ueritatis promissus est Apostolis, et eorum successoribus, sed in studio Christi, & ob seruantia sermonis Christi, non in loco tantum & nomine. Inanes Cathedræ, falsi tituli, & mendaces laruæ, hodie non plus iuris habent apud Deum, quàm habuerunt olim, cum Deus Silo templum Hierosolymitanum cum sacerdotio & populo, propter impietatem Sacerdotum & populi penitus euertit, funditùsque deleuit. Adminis-

Quibus promissus sit Spiritus S. iudex Sacrorum.

Ieremiæ 7.

ſtrat quidem Deus nonnunquàm, quæ eius eſt immenſa bonitas ueritatem & dona ſua per indignos et malos miniſtros, nec ſinit fidelibus eſſe fraudi miniſtrorum impietatem, quam ipſi corrigere non poſſunt: Verum ij quibus Dominus dedit, ut iuxta præceptum eius uitare poſſint malos, & eligere bonos miniſtros: ſi id non faciant, & malorum communicant miniſterijs, ij merito experiuntur, à ſpinis colligi uuas non poſſe, nec bonos fructus à malis arboribus, & deum maledicere benedictionibus Sacerdotum impiorum.

Hæc ſi Latomus, ex ipſa D. literarum, non umbra, ut ipſe conuitium illis facit, ſed luce, ut à Deo ipſo prædicantur, cognoſcere uoluiſſet, potius quàm ex umbra & tenebris quorundam Sophiſtarum, qui Eccleſiaſticæ interpretationis authoritatem impiæ prætexunt: ab illis pudendis & deplorandis triumphis indubiè ſibi temperaſſet, quos agit nimium ſecurè & confidenter, de mea in hac diſputatione inconſtantia, & dictorum contrarietate, ut ipſe quidem dicit. Poteſt, & ſolet nonnunquàm Deus dare ſuas prophetias per malos: Apoſtolorum miniſterium etiam Iudas tenuit, quod memorant Euangeliſtæ, nec ineffícax illud fuiſſe electis ad uitam, quamquàm ipſe impius eſſet, ueriſimile eſt: ſuperbi quoque ſunt, & Schiſmatis merito damnandi, qui ſe à communione Eccleſiæ ſeiungunt in ſacra doctrina, in ſyncero uſu Sacramentorum, & adminiſtratione iuſtæ diſciplinæ, propter malos miniſtros, hæc adminiſtrantes, Ex his autem quomodo conſequitur eſſe iudicium de Religione infallibile penes aperte Simoniacos, hoc eſt, hæreſi contaminatos, & in alijs notorijs ſceleribus atque flagitijs perſeuerantes, eò quòd dicant ſe repræſenta reuni-

Deus, cum uiſu ei eſt etiam, per malos bona docet, ſic nobis precipit bonos fructus à bonis arboribus petere.

re uniuersam Ecclesiam Christi, & à multis nationibus, ut id eis deferatur, partim fraude impetrarunt, partim ui extorserunt? Quæ nam est ista consecutio? Mali possunt bene docere, & recte de religione iudicare, ergo semper & infallibiliter bene docent, & recte iudicant. Addit tamen Latomus aliquas conditiones: Si legitime ad ministerium peruenerint, & in unitate Ecclesiæ persistant. Præclaræ certe conditiones, quas si ualere nobis Aduersarij uolent, in subsellijs Tridentinis minime anguste sedebitur. De religione & cærimonia eligendi, probandi, & ordinandi ministros, supra expositum est ius Diuinum, quotumquemque uero Latomus, imò ubi hoc sæculo aliquem antistitem Ecclesiasticum ostendet, qui ista religione sit designatus, exploratus, & idoneus iudicatus? Iam in unitate Ecclesiæ non manent, qui in Christo non manent, & qui partem in regno Dei nullã habent, quales sunt omnes Simoniaci (sunt enim πλεονεκται & sacrilegi) omnes adulteri, omnes scortatores, auellunt enim se à corpore Christi, & faciunt se membra scortorũ. Tamen si quid etiam hi sanæ doctrinæ adferunt, si quid recte iudicant, id quoniam à Deo profectum est, apud filios Dei pondus suum habet, & fructum facit. Nihil enim Deus non salutare suis adfert. Sed rogat Latomus, iudex quis erit de his malis ministris, quis dijudicabit quando ex Christo, quæ uera sunt, quando ex seipsis, & patre mendacij, qui in illis ἐνεργεῖ, loquitur & iudicat, proferunt quę mala sunt? Ii ipsi, qui etiam de prophetijs probatorum ministrorũ iudicare debent, eorum, quos constat sanctos & pios esse: Cæteri dijudicent: Hoc præcipit Spiritus. At ita rursus adimis, inquit Latomus, ministris quam dederas authoritatem. Quid ita? Inquirere in doctrinam

1. Cor. 6. Gal. 5.

ctrinam & uitam eius, etiam cuilibet idiotæ concedis. Nihil amplius equidem concedo uel idiotis uel Clericis, quàm id quod eis diſerte Deus mandauit. Clarum præceptum eſt, Cæteri diſudicent, auditores ſcilicet prophetiæ, & doctrinæ in Eccleſiam allatæ. Non autem, quia non irrefragabilem, ideo nullam ueris miniſtris Eccleſiarum relinquo authoritatem. Multi ſunt in authoritate gradus, prout alius alio fide dignior iure habeꝰ. Quam enim ſequitur Latomus nouam authoritatem, ut tantum unum genus authoritatis recipiendum putet, in cuius iudicium inquiri non liceat, ut quod ſit prorſus inſalibile? Hæc authoritas ſoli Deo propria eſt. Sed de hac re, pijs hominibus, qui religionem Chriſti non uerbis iactant, re autem ſibi ipſa ducunt intolerabilem, in reſponſione mea ad Latomum priore dixi ſatis, & admonebo rurſus in Elenchis meis in alteram Latomi doctrinæ noſtræ oppugnationem, quam ipſe defenſionem, & plenã, ſed ſine cauſa uocauit.

Videatur confutatio 4. argumẽti aduerſ. à pagina 198. uſq; ad pag. 212.

Chriſtianis omnibus mandatum à Domino eſt, ut ſibi à falſis Prophetis, ut à fermento Phariſæorum caueant, ut alienos fugiant, & anathema habeant, quicunque aliud Euangelium adferunt, quàm id quod prædicauit Petrus & Paulus, imò etiam omnes, qui non diligunt Dominum Ieſum, ut cum omnibus, qui illis tenentur flagitijs, ob quæ partem in regno Chriſti habere non poſſunt, nihil habeant commertij. Omnibus igitur neceſſitas incumbit, ueſtris autem Celſ. hoc maior, quo ampliorem ipſis Dominus gregis ſui curam demandauit, ut de uera & falſa prophetia & doctrina, de uita etiam uniuerſa omniũ qui in ouillis ueſtibus ueniunt, & ſeſe prophetarum, doctorum, & paſtorum Eccleſiæ nomine & loco ob-

Math. 7. 16.

Iohan. 10.
Gal. 1.
1. Cor. 16.
1. Cor. 5.

Digitized by Google

co obtrudunt, inquirant & iudicent, nec in eum locum qui ueris & fidis Christi ministris proprius est, admittant ministros Antichristi, & authoritatem in Ecclesia, quæ bonis & probatis duntaxat debetur, aperte malis et reprobis prodant. His mandatis Domini, Cels. uestræ facile intelligunt cunctis Christianis esse obtemperandũ, & uobis hoc religiosius, quò plurium saluti prospicere debetis. Est igitur longe certissimum, id quod priore parte libri primi me sum executus, nullos esse sub nomine Christiano, quibus minus permitti possit, dicere sententiam in Synodo, in qua de Reformatione agendum sit Ecclesiarum, nedum huiusmodi Synodum indicere, & gubernare, suæque libidini habere addictam.

Sũmę in repub. qualibet potestatis est, Consilia indicere, in quibus de maximis rebus deliberandum sit.

IAm æque firmũ est, quod altera huius libri parte demonstraui, Concilium, in quo sit tractandum de Reformatione Ecclesiarum, indici, regique oportere per Imperatoriam & Regiam Maiestatem, atque uestras Clariss. Dominationes, Capita scilicet Nationis nostræ ordinaria. Nemo enim credens Scripturis, nemo deferens traditioni Apostolicæ, Canonibus, & scriptis S. Patrum suam authoritatem, nemo concedens pijs Imperatorum legibus, & exemplis suum ius, dubitare potest, quin Concilium cogere, in quo sit constituendum de Religione, quæ omnium est, & ad salutem omnium primum et maxime interest, ad eos in primis pertineat, quibus supremam Deus in omnes potestatem fecit: ac mandatum dedit prouidendi omnibus, ut bene beatéque uiuant, ut à malis omnibus operibus abstracti ad bona instituantur, inuitentur, & impellantur. At certum est, Imperatoriæ ac Regiæ Maiestati atque uestris Clarissimis Dominationibus traditum esse gladium, & creditum summum

Imp. & proceres Imperij supremam habent in Germania potestatem in omnẽ animã & omnes actiones, etiam Ecclesiasticas.

Digitized by Google

Imperium in omnes animas Germaniæ, etiam Apostolorum, Prophetarum, & Euangelistarum, nedum sacerdotum & Monachorum. Ita uerbum Dei hac de re per Apostolum traditum intellexit, & interpretatus est consentienter totus, S. Patrum chorus. Nam ne somniarunt quidem de portentosa illa, & propria Antichristo exemptione ab omnibus iudicijs, quam Pontifex Rom. sibi et suis mancipijs à Christianis principibus fraude & ui extorsit. Rom. enim Pontifex non plus iuris aut potestatis habet in nostras Ecclesias, quàm Episcopus Eugubianus, aut quisq; alius, eiusdem enim est meriti, eiusdem sacerdotij omnis Episcopus, ubicunque fuerit, ut orthodoxè testatur D. Hieronymus. Episcopatus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur, ut uere scripsit D. Cyprianus. Imperatoriæ & Regiæ Maiestati, & uobis huius Nationis proceribus, credidit Deus Germaniam: huius uos oportet esse summos gubernatores, & inprimis id dare operam, ut religio recte constituatur, ut Deo, à quo uno omnis salus nostra pēdet, suum ius, suus uerus cultus restituat̄, quo scilicet quietam & tranquillam uitam degere possimus, cum omni pietate, & honestate. Gladius in omnium ceruices uobis est commendatus, ut terrori sitis omnibus malis operibus, & omnium maxime ijs, quę contra religionem admittuntur, honori autem & præsidio omnibus bonis operibus, & cum primis officijs pietatis & religionis.

Ro. Pont. etiam si uerus Episcopus esset, nō plus tamē potestatis haberet, in Ger. Ecclesias q̄ quilibet alius Episcopus.

Consilio quidem debetis uti ad hanc rem eorum, quibus Dominus ampliorem dedit religionis scientiam, & uoluntatem ad instaurandas Ecclesias ardentiorem: Verum tamen est, & de consultoribus, & de consilijs iudicare. Quóque id certius, & Ecclesiæ Dei utilius efficere possitis,

gentius de eo ſolicitos eſſe uos oportet,
gionis cauſam uere Religioſos, diuinæ
robe peritos, & toto corde ſtudioſos ad
conſilijs de reſtituenda diſciplina ciuili
igere ſoletis, qui huius habentur & peri-
iores: & conſilijs inſtituendæ rei bellicę,
cultate & ſtudio pollent militari: et ad
qui in illa docti, & nauigaturis iudican-
tes. Pugnat enim cum omni hominum
rem, quam quis uelit reparare, ubi uitia-
erit, alios admittere conſultores, quàm
præ alijs, ut reparari res eiuſmodi poſſit,
nem eius rei ex animo quærant. Tales i-
iurandas Eccleſias, deliberatores & con
di uobis & deligendi ſunt.

Ad bene conſu-
lendū in re quali
bet, eius rei peri-
tia et ſtudium re
quiritur.

ominus cuique ſuum impertiat ſpiritum
, non pro inanibus titulis & laruis, pro
ſis ſedib. & poteſtatibus, & iubeat, cum
ndis falſis prophetis, ueros à falſis docto
toribus ex fructibus diſcernere, fructus
is S. qui pie querentibus non minus con
ſuerint, quam manifeſta ſunt opera car-

Idonei ad piam
Synodum, à fru
ctib. non à titu-
lis, & externis
poteſtatibus iu-
dicandi.
Gal. 5.

eſt tam imperitus recti & praui, honeſti
impij, ut non diſcernere poſsit, à contem
rbi diuini oſore, ſtudioſum Dei & ad
entem? Ab idololatra & ſuperſtitioni-
m & religioſum? A ſolicito de tem-
ibus & opibus, pendentem certa fide à
p preſentis dignitatis & opulentiæ con-
noniaco & ſacrilego, alieni abſtinẽtem,
&

Conſpicui fru-
ctus Spiritus &
opera carnis ma
nifeſta.

et ſua in pauperes & bonos benigne erogantem? Temperantem et pudicum, ab adultero, ſcortatore et laſciuo? Ab iracundo & contentioſo rixatore, ad iniuriamq; & cædem prono, manſuetum, iniuriæ patientem, & aliorum mala ſuo bono uincere ſtudentem? Ab inuido et oſore hominum, omnium amantẽ, & quorumlibet commodis ſtudentem?

Perſpicua quoq; illa ſcripturarum loca ſunt, quibus Dominus diſerte, & copioſe deſcripſit, atque clariſsime diſcreuit, & bonarum & malarum arborum fructus, uirtutes ſpiritus, & morbos carnis, officia noui hominis, & maleficia ueteris: Hæc ſcripturarum loca proponantur, & accuratè conſyderentur, ſpiritu iudicij ueri & recti, & ad hanc diuinam regulam, ſingulorum, qui uidentur de religione Chriſti aliquid cognouiſſe, & ſtatue re poſſe, uita & mores excutiantur. Qui inter homines uiuunt, qui in oculis omnium uerſantur, horum ſtudia & uiuendi rationes latere non poſſunt. Nec eſt incognita aut difficilis ratio, de uita & moribus cuiuſque inquirendi, ut hic neque falſis uulgi laudibus, neque criminibus concedi aliquid oporteat. Mundus quidem, quemadmodum Dominum ipſum, ita omnes qui Dominum ſyncériter ſequuntur & prædicant, extremo odio perſequitur, ideo omnia mala, ſed falſo, de illis prædicat: At Chriſtiani Principes non ſunt de Mundo, eòque nec ex Mundi, ſed ex Dei ſpiritu hanc inquiſitionem inſtituendam eſſe ſibi norunt. Hic ſpiritus ueritatis docebit eos, & quorum de miniſtris Chriſti teſtimonia requirere, & quanti cuiusque teſtimonium facere, quo denique diſcrimine de fructibus quorumlibet iudicare debeant.

Ratio dignoſcẽdi & ſeligẽdi ad Chriſt.

Math. 10. 10 15.

Hæc inquiſitio, ea fiat & diligentia & religione, quam cauſa

naxima, cauſa uidelicet ſalutis noſtræ
ito requirit. Si enim iumentum, manci-
rs queratur, quam accurata fit de his in
leant, quo ſint ingenio, quibus mori-
tur religioſius de illorum ingenijs, mo
rſa, facultatibus & donis Spiritus S. in-
ui ijs conſilijs & deliberationibus adhi
uibus de uero cultu Dei, de ſalute ſcili-
uita ſempiterna agendum ſit? Dñs quo
ibus idoneos de ſua religone & cultu
iudquaquam obtrudet non idoneos.
inuenietis.

Querentib. pie idoneos conſulto-res de religio-ne, Dñs non ob-trudet ineptos.

ta huiusmodi inquiſitione, Dominus
ndubie faciet, ſuos eiusmodi miniſtros,
titiam dedit religionis ſuæ, & uerum
ſtudium: hos certe, quos Dominus ſe
ium miniſterium aſſumpſiſſe adeo eui-
declarat, nemo hominum ab eo miniſte
uere, etiamſi nullo inſigniti ſint ſplen-
dum in ſublimi aliquo Eccleſiæ gradu
amſi ſint externæ uitæ conditione om-
& abiectiſſimi, qualis ſcilicet Apoſto-
n ſummorum, Petri, Pauli, & ſimilium
non tantum apud Mundanos homi-
rlusad Corinthios ſcripſit.

1. Cor. 4. Dominus ad mi niſteria regni fæ pe facit idone os, qui hominibus minime ido nei uidentur.

inquit facti ſumus Mundo, & angelis
Nos ſtulti propter Chriſtum, uos autem
hriſtum, nos imbecilles, uos autem uali
contempti. Ad hoc usque tempus & e-
ius, & nudi ſumus, et colaphis cędimur,
imur ſedibus, & laboramus operantes

 proprijs

proprijs manibus, male audientes benedicimus: persecutionem patientes sustinemus, conuitijs affecti obsecramus, ueluti excrementa Mundi facti sumus, omnium rejectamentum ad hunc usque diem. Hæc uere Apostolica dignitas, illa summorum Ecclesiæ principum decora probe in hac causa pensitentur.

Veri Epi ad docendam et defendam religionem etiã coram ipsis Laicos adhibuerunt.

Veteres illi ueri Episcopi, qui sacrarũ rerum cum scientissimi, tum studiosissimi erant, etiam Laicos, & in Synodis, & in quotidianis Ecclesiarum cõuentibus, si quando haberent ad id idoneos, iusserunt coram se scripturas enarrare, & pia dogmata contra Aduersarios adserere. Nemo enim si sapiat, extruendis ædibus architectos, agendæ nauí gubernatorem, in prophanis deliberationibus & iudicijs aduocatos, medendo corpori Medicos, secundum titulos, & talium professionum insignia sibi deliget, & non potius pro peritia, usu, & fide præstandi harum artium opera: quanto igitur religiosius hoc curandum est, in ijs deligendis, quí ruinas restituant Templi Dei, quí ex tantis tempestatibus nauem Ecclesiæ ad portum perducant cœlestem, quí iura restituant ac uindicent Ierusalẽ superne, quí tam noxijs medeantur morbis Corporis Christi?

A peritia & usu præstantes artifices, non à nominib. deligendi.

Missis igitur inanibus titulis, missis uacuis Cathedris, & potestatibus Tyrannicis, pastores uos, Duces populi, quem Christus habet in Germania, agnoscite, & præsta te. Agnoscite uestras esse partes, ac nullius alterius in Germania, in qua uobis, & nemini alij, supremam Deus potestatem, & hanc in omnem animam in hac Natione uiuentem, concredidit, ante omnia prouidere, & quoad Dominus dederit, efficere, ut filij Dei per hanc Nationem dispersi ad Dominum nostrum Iesum Christum,

unum

unum bonum & principem pastorem suum omnes, quã primum, & summo studio quærantur, & in unico eius ouili, sancta synceræ religionis communione congregentur, in Ecclesia uere orthodoxa & Catholica, atque in hac pura Euangelij doctrina, religiosa Sacramentorum dispensatione, & salutari disciplinæ administratione pascantur, & regantur ad uitam æternam. Et quoniam Domino ita uisum est, qui populum uult spontaneum, & singulis suis membris uti ad corporis sui uniuersi instaurationem, ut cum gregis sui procuratio uitium aliquod acceperit, nedum cum collapsa fuerit, ut nunc collapsa, & tantum non deiecta penitus atque extincta esse conspicitur, sancta cogatur præstantiorum membrorum atque organorum suorum Synodus, in qua conueniant, & de repurganda atque restituenda Ecclesiarum procuratione in communi quam religiosissimæ deliberent, & cõstituant, ij maxime uiri, quibus ipse plus cæteris dederit & scientię, & zeli ad regnum suum, Vestri esse officij cognoscite, talem indicere & cogere Synodum, conuocare uiros, ex omnibus quidem Nationis huius ordinibus, postquam id maxime requirit Germaniæ libertas, incomparabile D. benignitatis donum, ut quæ omnium intersunt, ab omnibus huius Imperij Statibus cõstituantur, sed eiusmodi uiros, quos uero iudicio de fructibus cuiusq;, & coram Dño facto, non ex titulis & laruis, fraude, aut ui sacrilega occupatis sedibus iudicare potestis, & debetis, cæteris præstare, uti Sacrarum Scripturarũ intelligentia, ita religionis amore et studio, eaq; etiam prudentia Spiritus, omnia ad certam pietatis instaurationem instituendi, lenitate quoque animi et comitate, propensaq; in omnes homines charitate, ut fer-

Rom. 12. 1. Cor. 12. Ephes. 4.

Quare res Ecclesiasticę Concilijs piorum iudicandæ & constituendæ sunt.

Quales ad Christi Syn. adhibendi deliberatores. 1. Timoth. 3. & 4.

2.Timoth.2. ut ferre contradicentes ualeant, & erudire malos cum manſuetudine, qui laqueis errorum ſunt implicíti, quibus Chriſti donis ſtudium certum & conſtans omnium uirtutum deeſſe non poteſt.

Horum, ubi conuenerint, conſultationibus uos inter eſſe, & præeſſe debetis, ita ut pie feciſſe merito laudantur religioſiſſimi reges, Dauid, Ezechías, Ioſias, Conſtantinus, Theodoſius, ac plærícp alij. Cumcp Germania ueſtra Sparta ſit, quam uobis exornandam Dominus commiſit, in huius Nationis, & opportuniſſimo eius loco, hoc Eccleſiaſticum Concilium conſtituendum eſſe dubitare non poteſtis, quando non poſſit aliud Concilium cogi ſacratius, nec inſtitui deliberationes de rebus magis neceſſarijs & ſalutaribus, quibus maiore ſcilicet cura omnia prouideri commoda, & auerti incommoda debeant.

Principes præeſſe pijs Syn. debent.

Concilium pro Eccleſijs Germanis indicendū.

Optandum quidem erat, ut uniuerſali omnium Nationum Concilio res Eccleſiaſticæ ubícp reſtitui poſſent, ſed quę obſtet difficultas, uidemus, interim nec phas, nec non ſummè pernitioſum eſſe nobis poterit, ſi in obſequendo Domini uocationi & præceptis, uel horam, propter ullas creaturas, aut totum etiam Mundum, moremur. Clara enim certa, & indubitata ſunt Domini præcepta, ut omnibus, ita & nobis, ſiquidem illa cognoſcere & facere uere cupimus, & ad utrumque hoc Spiritum ſanctum ſedulis precibus orauerimus. Hunc enim Spiritum ueritatis Dominus omnibus petentibus eum, non minus Germanis, quam alijs Nationibus promiſit, & teſtatus de eo eſt, doćturum eos qui illum perceperint, omnia, atque ſuggeſturum, quæcumque ipſe dixit. Hunc ergo Spiritum & doctorem ueritatis à patre noſtro

Non expectandam Synodum generalem.

ſtro cœleſti per Chriſtum Dominum aſſidue rogemus, & doctrinam, actumq; eius pie excipiamus, & proni ſequamur, ita & nos ille, & citra aliarum Nationum conſilia, dum illa non adſpernamur, ſed ſine noſtra culpa impetrare non ualemus, in omnem ueritatem inducet. Quo nullam cæteris rationibus iniuriam faciemus, ſed de omnibus, tam ſalutari ſublato & præfixo exemplo, optime merebimur. Neque eo ab ulla ullius Chriſtiani populi pia communione & ſocietate auellemus, ſed arctius potius, ſicut Domino Capiti noſtro, ita etiam cunctis eius membris coniugemus, in ijs omnino rebus, in quibus Chriſtiana communio, & Eccleſiæ ſocietas conſiſtit. In cæteris qui uelint cohærere hominibus, ij à Chriſto Domino ſeſe abſtrahunt & alienant.

His omnibus, quæ hactenus commemorauimus & ex ipſis diuinis ſcripturis & Apoſtolicis traditionibus protulimus, Celſ. ueſtræ uident ipſæ, certiſsimè concludi, ueſtrum munus eſſe, Synodum Chriſtianam, pro reparanda Chriſti doctrina, & diſciplina in Eccleſijs Germanicis indicere, & in ipſa Germania, ac in eiuſmodi Germaniæ urbe, quę cunctis huius Nationis ordinibus commoda, atque ipſi cauſæ religionis accuratiſſimè tractandæ, maximè idonea ſit: & ad hanc conuocare Synodum, ex omnibus quidem Nationis huius Statibus, quũ hæc cauſa omnium ſalutis cum primis interſit, tamen tales uiros, quibus Dominus dederit religionis ſuæ & ſciẽtiam, & ſtudium, & dexteritatem agendi pro ea ſingulare, nulla præterea ratione habita, uel nominum, uel locorum: Tum etiam ipſos uos huiuſmodi Synodo non intereſſe tantũ, ſed etiam præeſſe, ueſtramq; authoritatem, ut omnia ex Domini ſententia, quàm religioſiſſimè conſtituan-

Concluſio.

ſtituantur, atque ab omnibus obſeruentur, ſummo ſtudio adhibere.

Hæc ex apertiſſimis oraculis Dei, atque certiſſima & catholica Eccleſiæ Chriſti traditione demonſtrata, ac laudatiſſimis piorum Regum exemplis commendata, Antichriſti nulla ex parte refutare poſſunt, quamlibet argutis Sophiſtis, & facundis Rhetoribus inſtructi. Si quid autē poſſunt, en præſto ſum, ueſtro iudicio, daturus uiolatæ religionis pœnas: ſi uel Cochlæus, uel Latomus, uel Louanienſes & Colonienſes, aut quicunque alij oppugnandam ſanam Chriſti doctrinam, & Tyrannidem Romanenſium aduerſus Eccleſiam Dei defendendam ſuſceperunt, demonſtrabunt, hæc, quę de Concilio Eccleſiaſtico per Imperatoriam & Regiam Maieſtates, & uos proceres Germanię indicēdo & celebrando, in prioribus libris paulo fuſius, expoſui, & in hac mea reſponſione ad Cochlæi calumnias paucis repetij, non eſſe de prompta ex diuinis ſcripturis, ex Traditionibus Apoſtolicis, Sanctorumq; patrum ſcriptis, & Eccleſiæ Canonibus, tum etiam ex legibus piorum principum, Siue oſtendere poterunt, ullo in loco hiſce me authoritatibus non recte & proprie uſum, nedum eas alicubi peruertiſſe.

Bucerus ſe iudicio ſtatuum Imperij offert.

Quapropter, nihil aliud quam furentis animi conuitia ſunt, non iuſta crimina, quod Cochlæus ad Celſitudines ueſtras ſcripſit, meos libros uobis inſcriptos, nihil in ſe continere quam fraudulenta commenta ad circumueniendos Germanos arte Rethorica cōcinnata, & prę textu me nugaciſſimo ſacrarum ſcripturarum, S. Patrū, Canonum, Legum, & hiſtoriarum, ad fraudes & mendacia abuſum eſſe improbiſſimè.

De arte-

De arte Rethorica non est quod me purgem, quam enim parum eius artis teneam, ipsa mea scripta satis loquuntur. Quanquam artem Rethoricam in numero expetendarum rerum habeo, & agnosco esse præclarum Spiritus S. donum, posse dicendo quibusuis, etiam uulgaribus hominibus quæ salutaria sunt, probabilib. argumentis et grato sermone persuadere, eósq; talíũ rerum amore & studio inflammare, & contra ab ijs rebus euocare, odiúmque & detestationem earum rerum ingerere, quæ cum pietate & honestate non consentiunt. Abuti autem hac arte ad ueritatem Christi obscurandam atque oppugnandam, quæ uerò sunt Antichristi falsis coloribus commendare & defendere, id uero summopere detestandum, & impium meritò iudicatur. Sed ab hoc sacrilegio seruauit adhuc me Dominus, & porrò seruabit. Tales in aulis uersantur pseudoepiscoporum, à quibus sacrilegij huius ampla possunt præmia consequi, non in ministerio Euangelij.

AEque atrox & illa Cochlæi calumnia est, me uaframento meæ suasionis de Consilio Nationali in nostra Natione celebrando, molíri communem patriam, laude Religionis præ alijs Nationibus celebrem, inducere, ut Catholicam parentum suorum fidem deserat, nec solum à Ro. Pont. legítimo Catholicæ Ecclesiæ pastore, sed etiam à reliquis Catholicæ fidei populis, in dispersionem nouarum sectarum secedat, atque in perpetuo schismate, & barathro æternæ damnationis permaneat, turpiter reiectis edicto Vuormatiensi, alijsque Imperialib. mandatis, contra Lutheranos promulgatis.

Si enim Catholicam parentum fidem, intellígit fidem in Chri-

Quę fides parẽ-
tum ſequenda.

in Chriſtum orthodoxam, equidem ſtudeo ad eam reuocare Germanos, & in ea conuertere corda filiorum, ad ueros fidei, nõ carnis patres, ad ſanctas Patriarchas, prophetas, Apoſtolos, martyres, alioſq; ueros Chriſtianæ religionis cultores. Etenim à carnalium Patrum traditione liberati ſumus præcioſo ſanguine agni immaculati Chriſti. Nam nec Cochlæus, nec quiſquam alius unquam demõſtrabit, aliam nos docere fidem, quam eam, quam Chriſtus ſeruator ipſe Euangelio ſuo nobis tradidit, quamque docuerunt Apoſtoli, & ab initio ſeruat, uera Chriſti Eccleſia. In qua dum perſtiterit Germania, in Dño conſociata et unita manet cũ ſanctis omnibus, qui uſpiam unquam fuerunt, ſunt, & futuri ſunt, etiamſi non eoſdem, quos alij, ſeruet externos ritus, à Domino ſcilicet non mandatos, Nam hi, ut Auguſtini, ſic omnibus laudatis Eccleſiæ temporibus, pro diuerſorum loco rum diuerſis moribus innumerabiliter uariarunt.

1. Pet. 1. τῆς μα ταίας ὑμῶν ἀναστροφῆς πατροπαραδότου.

Vnitas fidei in quo.

Auguſtinus ad Ianuarium.

Quod uero attinet ad ſuperſtitiones, & religionis Chriſti peruerſitatem, quam Antichriſti inuexerunt, quantumuis illæ à maioribus ſint traditæ, & obſeruentur à multis alijs Nationibus, ualere tamen contraeas apud nos hæc debent. Si quis uenit ad me, nec odit patrem ſuum ac matrem, & uxorem, & filios, et ſorores, præterea & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Item, Ego elegi uos de Mundo. Item, Et ne diligite Mundum, neue ea quæ in Mundo ſunt. Si quis diligit Mundum, in eo non eſt dilectio Patris. Et, Quod enim conſortium iuſticię cum iniuſticia? aut quę communio lucí cum tenebris? aut quę concordia Chriſti cum Belial? aut quę pars fideli cum infideli? aut quid conuenit templo Dei cum ſimulachris? Nam uos templum eſtis Dei

Luc. 14.

Ioan. 15.
1. Ioan. 2.

2. Cor. 6.

Seceſsio à Mũdo.

Digitized by Google

Dei uiuentis, quemadmodum dixit Deus: Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Quapropter exite de medio illorum, & separemini ab illis, dicit dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego suscipiam uos, & ero uobis loco Patris, & uos eritis mihi uice filiorum ac filiarum, dicit Dominus omnipotens.

De uniuersali Pastore.

DE Pont. Ro. etiam si uerus Episcopus, non manifestus Antichristus esset, aperte id tamẽ falsum est, q̃ Cochleus hic scribit, illum semper habitũ pro uero, et legitimo Ecclesiæ Catholicæ pastore, quo scilicet illum uniuersalem totius Ecclesiæ Christi Episcopũ, atq̃ sicut Christi Dñi uicariũ in terris, ita summa, hoc est Christi ipsius in singulos Christianos potestate prẽditũ, predicare instituit. D. Gregorius enim fidelis indubiè Ecclesię Roman. Episcopus, titulum Vniuersalis Pastoris, totius Ecclesiæ Christi per uniuersum orbem dispersæ, id est, οἰκουμενικὸν, Antichristo deputauit: ac quemadmodũ alios eum usurpare noluit, ita etiam eum sibi attribui minime permisit, quod et antecessores eius fecerunt. Nam eũ titulum patres, qui in Synodo illa maxima numero patrum Chalcedonensi cõuenerant, Ro. Pont. humana quadã ratione inducti, detulerant, sicut etiam Constantinopolitano ordinationem addixerant Alexandrini & Antiocheni Episcoporum, utrumque sane contra decreta Synodi Nicenæ, alterum autem etiam contra statuta Euangelica, ut D. Gregorius testatus est. Leo itaque, qui tum Episcopatu fungebatur Romano, uir doctiss. & sanctiss. delatum sibi impium nomen uniuersalis Episcopi minime admisit, & de ordinatione Alexandrini, atque Antioche

Vniuersalem Episcopum uelle uocari, Satanæ & Antichristi est.

g ni addi-

ni addicta Constantinopolitano, reclamauit, huic cona tui obijciens authoritatem Synodi Nicenæ, quam longe præferendam authoritati Chalcedonensis, quamuis numerosioris contendit.

Ne autem falsum illum & pernitiosum Ecclesis honorem, tituli uniuersalis Episcopi, uel hic Leo, uel eius usque ad Gregorium successores, qui numero fuerunt 19. plærique omnes eruditione & pietate præstantissimi, admitterent, in eo reuereri sunt, ut Gregorius testatur, et statuta Euangelica, et Canonũ decreta: Tum etiam ueri Episcopi cum essent, & rerum Ecclesiasticarum solidè prudentes, prouidebant ex Spiritu Domini, ex hoc nomine, (tametsi initio tantum honoris quædam prærogatiua, non ius aliquod, uel potestas in Ecclesias, deferri eo uideretur,) futurum, ut crescente ambitione, impiam in omnes Ecclesias dominationem, huius occasione uocabuli, ij inuaderent, qui sceleſtum hoc nomen obtinuissent, eneruata primum, postea etiam penitus sublata singulorum Episcoporum authoritate: id quod pridem factum uidemus.

Lib. 4. Epistola 32.

Necessario itaque, & ita poscente religione muneris Episcopalis, ac procurationis Ecclesiarum, & non tantum humilitatis testandæ, & inuidię auertendę gratia, ut Pighius aperto mendacio, contra tot clarissimas D. Gregorij Epistolas, ausus est affirmare, ueri illi & sanctissimi Episcopi Romani, titulum hunc uniuersalis Episcopi & pastoris, repudiarunt, usumque eius, tam in seipsis, quam in alijs adeo seueriter damnauerunt. Ex ueritate enim Catholica idem D. Gregorius testatus est, cum, qui prophanum & Antichristianum hoc uocabulum usurpat, & contradicere gratiæ, quę communiter in omnes

Lib. 5. cap. 20. Hierarch. Eccle.

Causę cur Gregor. titulum uniuersalis Epi dãnauit.

Episco-

Episcopos Catholicæ Ecclesiæ effusa est,& negare alios esse Episcopos,& se facere unum solum Episcopum,& grauissima iniuria uniuersam Ecclesiam afficere,ut corruente scilicet eo uniuerso,corruat etiam uniuersa Ecclesia. Id quod horrendum in modum iam pridem impletum esse uidemus.

Quamobrem idem uerè Ro. Episcopus nomen hoc à nemine unquam uere Sancto,nec ante legem,nec sub lege,nec sub gratia usurpatum,iure impium & blasphemium uocauit,& esse in eo ruinæ primi Apostatæ minitationem affirmauit. Vnde parem quoq; casum in Ro: Pontificibus,qui illud tandem obtinuerunt, cernimus. Sicut enim Satan,postquam sese supra cæteros spiritus extulit,ne in infimis quidem angelis hæsit,factus irrecõciliabilis hostis Dei,& omnium filiorum Dei, ita Ro. Pontifices,in eam sensus,uitæque totius detrusi sunt peruersitatem,ut Christiano nomine prorsus indigni, euaserint Antichristi omniũ exitiosissimi. Id presagiens pius Gregorij animus, in tam uehementem detestationem nominis tantum (rem enim adhuc nemo uidebatur appetere) erupit. Si hanc inquit iniuriam Ecclesiæ,(intelligit usurpationem tituli uniuersalis Episcopi) æquanimiter ferimus,uniuersæ Ecclesiæ fidẽ corrumpimus. Tam abfuit ab eo uir uerissimus, ut titulũ modo hunc, quippe ambitiosum,& inuidiosum repudiarit, potestatem autem retinuerit & exercuerit unq̃,nedum quamdiu in Cathedra Petri sedit,quod ei Latomus,nimis audace,atque contumeliosa in tantum Episcopum uanitate,contra apertissimas ipsius Epistolas attribuit.

Epist.38.lib.4.

Ita scripsit ad Antiocheum patriarchã epistola 24.lib.6.

Hæc itaque tam grauia & horrenda præconia,de hoc uniuersitatis nomine tantum (rem enim ut dixi aperte

Libro quarto Epistola .32.34. 36.38. & lib.6. Epistola .24. & 30. Et lib.7. Epistola.30.

adhuc nemo affectabat) perpendant Cels. uestræ, ex spiritu enim sancto hic Ecclesiæ Romanæ Episcopus, & legitimus Petri successor, ea cõscripsit, tamque religiose contestatus est, idque non ad uulgares homines, neq; semel & iterum, sed sæpius, & ad omnes primores Patriarchas, non ipsos modo Constantinopolitanos, qui

lib. 4.

hoc uocabulũ sibi sumpserant, sed etiam apud Alexandrinum, Antiochenum, & quosque alios grauiores Episcopos: tum etiam apud Mauritium Augustum, Constantiam Augustam Mauritij uxorẽ, & apud alios multos primi nominis aulicos. Nam & hoc inesse isti impiæ appellationi prouidit, ut qui titulum hunc arrogaret sibi, se etiam honori Imperij præponere. Id quod pridem horrende impletum boni omnes deplorant.

Qui se uniuersalem pastorem facit, is se etiam Imperij honori preponit.

Epistola .32

In quod se fastigiũ Pont. Rom. supra omnẽ potestatem extulerit.

Eò enim impietatis, & audentiæ, freti hoc uniuersitatis titulo, Ro. Antichristi perruperunt, ut se esse Dominos & Deos Mundi, heredes & possessores omnium rerum Mundi affirmauerint, & hodie affirment, qui cuncta Mundi regna & potestates in suo iure habeant, ut ea conferant & auferant, mutent, augeant & imminuant, quibus uelint, & quomodo uelint, pro mera sua libidine, nullis legibus, nullo iure, nulla ratione, adeo ut nefas sit illis ab ulla alia inter homines potestate dici, cur ita facitis? Faciunt enim Tyrannidem suam, de qua blasphemia Pighius etiam serio gloriatur, lapidem illum de monte recisum sine manibus, qui in montem immensum excreuisse, & cuncta Mundi regna comminuere & delere debuerit. Hæc omnia tam dira, & exitiosa mala ex unius impij nominis (horrendum cogitatu) usurpatione, in Ecclesiam Dei, & orbem totum inuecta sunt.

Dan. 2.

Digitized by Google

sunt. Quocirca minimè mirum, tam acriter, lenissimum alioqui uirum D. Gregorium, in uocabuli istius usurpatores esse inuectum, quos optimus pater in successoribus suis minime expectabat.

D. Petrum & hic & cæteri patres agnouerunt & prę dicarunt primum Ecclesiæ uniuersalis membrum, curamq; ei, ac etiam principatum totius Ecclesiæ commissum (nolo enim quicquam dissimulare, quod nostræ sententiæ uideatur aduersari, ut me calumniari hostes Euangelij solent) Apostolum autem uel Episcopum fuisse uniuersalem pernegarunt. De eo enim & Paulo, Andrea, & Ioanne idem Gregorius scripsit: Quid aliud quam singularium sunt plebium capita? & tamen sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiæ. Aliud enim est esse principem Apostolum uel Episcopum, curamque gerere uniuersæ Ecclesiæ, quantum quidem unus hanc curam gerere potest, aliud esse Apostolum uel Episcopum uniuersalem, id est, omnium Ecclesiarum Apostolum & Episcopum. Vt fuerunt olim Romæ, ita sunt hodie in Rebus publ. qui dicuntur & sunt Principes Senatus, principes ciuitatis, quique totius Ciuitatis curam suscipiunt, ob id tamen non sunt ij Senatores, aut ciuitatum curatores uniuersales, ita scilicet ut uniuersæ Reip. administrationē soli administrarent, uel addictā sibi uniuersam haberent: quemadmodū Pontifex Ro. administrationem Ecclesiarū totam occupauit, & cunctas sibi addictas Ecclesias tenet. Petrus princeps Apostolus, sed non uniuersalis. lib. 4. Epist. 32. & 38.

Fuit Petrus princeps Apostolus, fuit & Paulus, & Ioannes, ac si ita placet, fuerunt etiam principes Apostolorum, hoc est, inter Apostolos præstantiores, aliorumq; Apostolorum antesignani & exemplo, curamq; etiam

singuli gesserunt omnium Ecclesiarum. Nec enim mentitus Paulus est, cum prædicauit sibi incubuisse curam omnium Ecclesiarum. At nec Petrus tamen, nec quisq; aliorũ, uel Apostolorũ, uel eorũ qui Apostolorum fuerunt successores (successores inq; fide, & legitima Ecclesiarũ procuratione, non titulis tantũ & sedibus) eam in Ecclesias potestatẽ unq; usurparunt, ut quemadmodũ Romanenses Tyranni faciunt, quisq; illorũ ullius Ecclesiæ, nedum totius orbis, & Cleros & Laicos suæ iurisdictioni immediatæ subiectos habere, & Episcoporum se Episcopum constituere uoluisset.

2. Cor. 11.

Quomodo Paulus suam principalẽ potestatem est executus. 1. Cor. 4.

Paulus magnus Ecclesiarum princeps, & Corinthiorum peculiaris Apostolus erat, ut qui eos Domino per Euangelium genuisset, tamen cum in incestum Corinthium, uim ultricem Spiritus S. uellet exercere, quam potestatem nec Clerici, nec Laici Corinthiaci habebant; tamen id per se, & sua separatim authoritate facere noluit. Excitabat uero Corinthios, ut & ipsi sua pariter in illũ potestate castigatoria animaduerterent, & non nisi congregatis ipsis cum suo spiritu, tanquam præsens Satanæ eum tradidit, qui flagitiũ admiserat: Quin nec recipere eum hominem in gratiam Ecclesiæ, comprobata eius pœnitentia, nisi condonantibus illi unà Corinthijs, uolebat. Sic etiam Petrus, sic Petri in sede Ro. omnes ueri successores suo in Ecclesias principatu functi sunt, cuique Episcopo apud suos summam Religionis administrationem reliquerunt, Episcoporumq; Episcopum, & iudicem, nemo illorum, ut D. Cyprianus uere testatur, constituit.

Quatenus Epi singuli & collegarum & omnium Ecclesiarum curam gesserint.

Quoniam autem id omnium quidem Christianorum est, etiam priuatorum hominum, ut totius Corpo-

ris

ris Christi instaurationem non optent tantum, sed etiam efficere, quisq; pro suæ fidei mensura, suoq; in Ecclesia loco, studeant, Principes illi Apostoli & Pastores, merito collegas suos, ipsásque Ecclesias, quas intellexissent à uia Domini aliquid deflexisse, reuocare in uiam, & quas recte currere cognouissent, in cursu suo confirmare curauerunt.

Quod quo fieret certius, primoribus sedibus postea certę quidem sunt dioeceses attributę singulariter curandæ, sed ueri Episcopi, nec his terminis suam pro Ecclesijs solicitudinem coarctari sinebant, si quid præterea commodare Ecclesijs potuissent, nec etiam intra hos terminos, Episcopos se cuiusquàm Episcopi gerebant. Ipsos potius Episcopos cuiusque Ecclesię, in qua delictum esse animaduertissent, officij sui, ut frater fratrem, collega collegam, admonebant: et si ij uel non possent, uel nolent oborto Ecclesiæ malo mederi, rem omnem deferebant ad Synodos. Synodúmque, si delictum in ipsorum dioecesi hærebat, ipsi conuocabant, sin alibi, eos Episcopos, in quorum dioecesi causa uersabatur, ut Synodum indicerent, adhortabantur. Si generali opus Concilio esset, id indici ab Imperatoribus poscebant, postquàm ij facti sunt Christiani. Nam ante id tempus nullum Concilium generale celebratum est. Vt autem Romam citarent quos uoluissent, ex Clericis uel Laicis, aut Episcopis, ex aliorum dioecesibus, & pro sua sola potestate de eis iudicarent, uerorum Petri successorum præsumpsit nemo. Et tamen illud Domini commune omnibus præceptum, Si peccauerit in te frater tuus, reprehende eum inter te & ipsum solum &c. quilibet Episcopus eò exequebatur & latius & accuratius, quo plus cuique Domi-

nus

nus contuliſſet cum zeli pro regno eius, tum etiam in Ec-
Munus principum Eporum. cleſia authoritatis, quoue plures etiam quiſque habebat Eccleſias ſuæ peculiari curæ demandatas.

Cum itaq; principes illę urbes, Roma uetus & noua, Alexandria, Antiochia, & plerę q; alię, Epiſcopos et Cleros haberent, non numero tantũ, ſed etiam ſacrorũ ſcientia, & ſtudio principes, ſinguli propriam quidem Dioeceſium primum, deinde etiam omnium per totum orbem Eccleſiarum curam geſſerunt, quantum huius cuique datum, & quo amplior cuique in his rebus principatus erat diuinitus delatus. Hic enim illorum principatus fuit, hæc ſedium iſtarum excellentia, non poteſtatis, non iurisdictionis, ſed ſacræ ſcientiæ, zeli, curæ, opitulationis. Quæ principes Epiſcopi, Eccleſijs ita præſtabant, ut cuique tamen Epiſcoporum Epiſcopale ius integrum, et par relinquerent, nemo eorum in ullam Eccleſiam, prę-ter ſuam, quę ipſa proprium Epiſcopum haberet, immediatam iuriſdictionem exercere ſibi permiſit, ut hanc pridem inuaſerunt Roman. Tyranni, eóque Eccleſias iuris paſtoribus, ita ut nimis uerè Gregorius diuinauit, & omni munere paſtorali penitus ſpoliarunt.

Nam & ſi hi Eccleſijs relinquant, qui Epiſcopale
Omnis Epatus ſublatus á Ro. Pont. nomen uſurpent, eos tamen ita habẽt ſuę libidini obſtrictos, ut ſicut non poſſunt fieri Epiſcopi, niſi id magna ab ipſis pecunia redimant, ita nec ualeant Epiſcopatum adminiſtrare, niſi ex ipſorum nutu, eóque ſemper contra Chriſtum Dominum, & ad Eccleſiarum perniciem. Nam ſi qui uelint ſuo munere piè & ſalutariter fungi, per Pontificem Rom. ſtatim prohibentur, prouocantibus ad ipſius ſedem, ijs, qui diſciplinã Chriſti ferre non poſſunt. Vti nunc in Epiſcopo Colonienſi uerè Reuerendiſſimo

rendiſsimo nimis triſte exemplum conſpicitur. Eadem tyranniде prope deiectus fuerat titulo & ditione Epiſcopatus Argentoratenſis, tum primum adepta, Guilhelmus ab Honſtein, propterea quod ſuis ſacerdotibus, & inter hos etiam quibuſdam Curiæ Rom. adſcriptis interdixerat habere palam domi ſuæ ſcorta.

Argentoratenſi à Ro. Pont. uexatus quod prohiberet ſuis ſcorta habere domi palam.

Principes itaque Apoſtolos fuiſſe & Epiſcopos eſſe, nemo negat. At Apoſtolos uel Epiſcopos haberi uniuerſales, id cum D. Gregorio affirmamus eſſe conatu impium & Antichriſtianum, facto uero etiam impoſſibile. Nam uniuerſalem gregis Chriſti Epiſcopum & paſtorem non dici tantum, ſed re ipſa eſſe, eſt præſentem omnibus & ſingulis ouibus Chriſti, curam & munus paſtoris exhibere, Euangelij doctrina, Sacramentorum adminiſtratione, et procuratione diſciplinę, id quod nemo hominum præſtare poteſt. Eccleſia enim eſt regnum ueritatis, cuius munera conſtant non inanibus titulis & laruis, ſed iuſtis, & quę reipſa præſtentur, miniſterijs. Solus itaque Chriſtus Dominus, ille bonus paſtor, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, paſtorem ſe præbet Eccleſijs ſuis uniuerſalem, hoc eſt, ſimul omnium & ſingulorum. Adeſt enim præſens ouibus ſuis, & ſingulis, et quotidie, uſque ad conſumationem ſęculi, docet, paſcitque re ipſa ſingulas: Et ad hoc miniſtros ſibi ipſe ſufficit, ac etiam ſingulis Eccleſijs ſingulos. Non enim tantum Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, miniſtros multarum Eccleſiarum dedit ſemel, ſed dat etiam quotidie quibuslibet ſuis Eccleſijs ſuos certos, & proprios paſtores, & doctores, eosdémque ipſe ſuo ad miniſteria gregis ſui ſpiritu inſtruit, agitque, ipſeque unus plantationi & rigationi eorum incrementum ſuppeditat. His etenim ſingulis

Epi principes eſſe poſſūt, Vniuerſales nō poſſunt.

Solus Chriſtus uniuerſalis Epiſcopus.

Epheſ. 4.

Lib. 1. Epist. 3. Par Episcopo-rum potestas. Cipr. ad Quirinum.

ppriam portionē gregis adscripsit, ut D. Cyprianus ex Christi & Apostolica traditione testatus est, idque ea lege & potestate, ut quisque suam portionem totam una cum suo presbyterio & clero regat & gubernet, rationem sui actus Domino Principi pastorum, non Papę Romano redditurus. Inter quos nemo se Episcopum Episcoporum potest constituere, aut alterum iudicare, sicut nec iudicari ab alio. Vnde Synodorum in Episcopos iudicium fuit, non apud ullum unum Episcopum, dum stabat politia Ecclesiæ tradita ab Apostolis. Pares itaq; Episcopi sunt, non modo ipsa clauium potestate, quo commento Latomus eludere D. Cypriani authoritatem frustra conatus est, sed etiam usu gradúque potestatis & iurisdictionis.

Hæc est Ecclesiæ Catholicæ de Episcopis, & Episcoporum, cum Romani, tum aliorum potestate, sententia, nitens ipso uerbo Dei, comprobata Canonibus, obseruata ab omnibus ueris Episcopis.

Conclusio de Pont. Ro.

Hinc itaque Celsitudines uestræ clare certóque intelligunt quàm uanum sit, quod Cochlæus ausus est scribere, Rom. Pontificem semper esse habitum pro pastore legitimo Catholicæ Ecclesię, quo dicto uniuersalem illum Ecclesiæ pastorem facit: Fidem igitur habere non dubitabitis D. Gregorio, non solum aduersus Cochlæos, Pighios, Colonienses & Louanienses, & cunctos Rom. Tyrannidis adsertores, uerum etiam cōtra ueteres illos Antichristi seruos, & Ecclesiasticæ traditionis corruptores, qui Sanctissimis Romanæ Ecclesiæ Episcopis, & martyribus ausi sunt illa Epistolarum figmenta adscribere, furore prorsus sacrilego, quæ feruntur sub nomine Episcoporum Ro. & martyrum Sixti primi, Victoris, Pontiani,

Sacrilega figmenta ad scripta primis Ro. Epis.

tiani, Stephani, Marcellini, Marcelli, quorum ut annos Pighius frustra annotauit, ita authoritatem unicam uel impia cæcitate, uel obstinata impietate, in adserendo Antichristianismo Romani Pont. opponit Scripturis Dei, traditionibus Apostolicis, cunctæque authoritati ueterum. Interim tamen scribere ausus est, pudere ipsum stupendæ impudentiæ & arrogantiæ illorum, qui commemoratas Gregorij authoritates contra antiquitatem sedis Rom. protulerunt. Nam aut fatali sanè ipse cæcitate percussus fuit, si non uidit, quàm mendaciter, & quàm contra omnem ueri rationem, illę Epistolę confictę sint, aut certe extremo Antichristi actus furore est, quod cum id uideret, ausus tamen fuit, tantam illis arrogare authoritatem, et prætiosum tot martyrum sanguinem, uerámque Episcopalem dignitatem, his diaboli excrementis conspurcare.

Constat enim & constabit in æternum D. Gregorij testimonium. Neminem unquàm sanctorum, iam inde ab initio orbis, appellari se Vniuersalem sustinuisse: uerum omnes ita sensisse, impium hoc & blasphemum uocabulum aperte esse, ut contrarium statutis Euangelicis, Canonúmque decretis: ita habere quoque in se imitationem primi Apostatæ & Antichristi, esseque eius ueluti prędudium quoddam indubitatũ, Qui paulo post, cum & rem huius impij uocabuli inuasisset, spoliauit Ecclesias ueris Episcopis, Episcopalémque functionem sensim aboleuit omnem. Qua quidem in re, tot iam sęculis, Ro. Pont. horribili obstinatione persistunt, indiesq; portentosiusistam suam in Ecclesias Dei tyrannidem exasperant, et contra omnem pium sanctorum conatum, de restituendo illis pastorali munere, communiunt.

Quod & coram ueſtris Celſitudinibus. & coram legitima ac pia Synodo offero me latius probaturum, & euidentiſſimè euicturum, ex ipſis certiſſimis Dei Scripturis, authoritatibus S. Patrum, Canonibus Eccleſiæ Chriſti perpetuis, atque ijs horum hominum apertis & perpetuis ſacræ adminiſtrationis deprauationibus, notorijs que uitæ flagitijs, quæ inficiari nemo poteſt.

Intelligitis igitur, cum ſuaſi uobis, ut miſſo Romano Eccleſiarum Tyranno, ipſi Eccleſijs ueſtris per piam Synodum conſulatis, me uobis ſuaſiſſe, diſcedere ab Antichriſto, teterrimo Eccleſiarum uaſtatore, non autem ab ullius Eccleſiæ, ne dum ab omnium Eccleſiarum paſtore: reuocareq; uos uoluiſſe ab impiorum hominum erroribus & ſuperſtitionibus, in unitatem ueræ fidei, reparato charitatis fœdere, ut æternum uiuatis, non à ueræ religionis cultoribus, in diſperſionem ſectarum, rupto charitatis uinculo, ut in Schiſmatis barathro æternum pereatis, de quo mihi Cochlæus conuicia fecit, ut impudentiſſima, ſic etiam atrociſſima, quæ in præſentiarum his quæ commemoraui, repuliſſe ſatis duco.

Edicti Vuormacien. Abrogatio.

QVod uero ſubiungit hic, me etiam conatum eſſe efficere, ut inclyta noſtra natio turpiter reſiliret ab Edicto Vuormacienſi, omnium Ordinum conſenſu pro mulgato, item à Decreto Auguſtano, alijsque Imperatorijs mandatis, atque monumentis ſubindè publicè renouatis: Id equidem optarim me, Impe. & Regiæ Maieſtatibus, cunctiſq; ueſtris Celſitudinibus poſſe perſuadere, ut non ſolum reſiliatis quàm primum ab omnibus, quæ ad improbam, & uiolentam Ro. Tyranni, & mancipiorum eius ſuggeſtionem atque poſtulatio

nem

nem,causa nondum legitimè cognita,contra purã Chri sti doctrinam,& synceram Sacramentorum,disciplinæ que Ecclesiæ administrationem,quam tot præclari iam Principes,& Ordines Imperij profitentur, decreta & constituta sunt,uel Vuormaciæ,uel Augustæ, uel alibi, uerum etiam,ut hæc omnia prorsus abrogetis ac penitus aboleatis,& exemplo D. Constantini,& Iouiniani aliorumq; piorum Imperatorum doctrinam & disciplinam Christi contrarijs edictis & legibus,quantum fieri possit,omnibus populis cõmendetis,et ubiq; promouea tis: Eo enim ultionẽ reiecti regni Christi grauissimam à uobis,& abhac natione uestræ fidei à Deo credita,remo uebitis,& cõtra recepto regno Christi,uobis & populis Germaniæ omnibus bona cuncta præsentis & futuræ uitæ cumulatissimè conciliabitis. Iuxta illud. Quærite primum regnum Dei,& iusticiam eius,& adijcientur uobis cætera omnia. Qua pia inconsultorum Edicto rum permutatione solidam uobis gloriam comparabitis,apud Deum & omnem piam posteritatem, tantum abest ut ea dedecus aliquod uel turpitudinem subiretis, uti Cochlæus blasphemat,nisi forte turpe sit, reuerti ad Dominum,redire in uiam,quam Christus seruator nobis aperuit,& muniuit,in uiam uitę & gloriæ sempiternæ,repetere præcepta & instituta,quæ ipse nobis seruator reliquit,in quo uno,omne populi Dei decus & gloria consistit. Deut.4;

Confessi sumus nos,quos edicta illa condemnant, & consectamur,nullam aliam,quam Christi Dei nostri doctrinam,nec aliam administrationis Ecclesiasticæ reformationem molimur,quam qua Ecclesiæ ministeria ad præscripta reuocentur Spiritus S. Hæc Cochlæus mul-

tique alij hostes regni Christi plurimis libris calumniati sint: Sed qui ea uere confutarit, & cum præceptis ac institutis Christi dissentire ostenderit, adhuc nemo prodijt. Siquidem ita intelliguntur, & usurpentur, quemadmodum apud nos traduntur, & obseruantur, non ut hostes suis ea calumnijs peruertere solent. Cognosci igitur nostra antea, et religiosè dijudicari conueniebat, quàm ut contra ea aliquid decerneretur, nedum edicta tam sæua & importuna promulgarentur. Sed quia lucem legitimæ cognitionis Pontifex Rom. & eius mancipia ferre non possunt. Ideo perpetuo hoc agunt, & moliuntur, ut condemnemur in indicta causa, ipsique in sua ipsorum causa accusatores nostri sint & iudices.

Edictum Vormaciēse non omnium ordinum consensu constitutum.

Quod uero Cochlæus de Edicto Vuormaciensi scribere ausus est, illud omnium ordinum Imperij consensu per omne Imperium promulgatum esse, in eo agit nimium impudenter. Supersunt enim adhuc quàm plurimi qui Vuormaciæ eo tempore fuerunt, & norunt, quibus consentientibus Edictū hoc sancitum sit. Sed ut nullus supersit rei huius testis, si edictum istud constitutum fuit ex omnium Imperij ordinum sententia, ut aliæ multæ eo Comitia factæ constitutiones, quid causæ fuit, ut non eisdem constitutionibus, & decretis communi ordinum uoluntate factis, insertum sit & adiunctum in illa publica edictorum eius comitij instrumento, quod Recessum uocant? Cur nō est etiam in huius Edicti formula eadem facta ab initio eius ordinum Imp. cōmemoratio quę in alijs comitialibus sancionibus, omniū Ordinum consensione decretis, fieri consueuit? Deinde si Edictū hoc omnium Ordinū consensu factum est, quare non est etiam, ut reliqua, in consessu omniū ordinum promulgatum?

Quare

Quare permissum, ut Lutheri libri Vuormaciæ eodē in loco, in quo erat suspensum, publicè uenderētur? Vnde deniq; periculum illud creatum fuit duobus nuncijs Papæ, Aleandro, & Caracciolæ, cum auditum esset, ipsos iactare & gloriari, etiamsi nihil aliud pro suo Pontifice in eo Comitio effecissent, quàm quod obtinuissent Edictum hoc sanciri, eo tamen ipso, operā suam illi fœliciter collocasse, propterea, quod eo edicto prouisum iam esset, ut Germani, nisi Pontificis iugum perferre uellent, suo ipsi sanguine Germaniam essent inundaturi?

Edictū Vuormaciense Pont. extortū.

Edictum igitur hoc acceptum ferimus non communi consensu omnium Imperij Ordinum, sed Rom. Pontifici, & his ipsis, quos modo dixi, eius nuncijs, per quos ille id ab Imperatore assentientibus quidem aliquibus, sed non omnibus Imperij Ordinibus, extorsit. Quocirca nec insertum est Decretis illorum Comitiorum, nec Decreti Comitialis, uel Recessus nomē accepit, uti decreta contra religionem in Augustano Comitio facta, sed Imperiale tantum edictum uocari solet. Hoc enim nomine in actis Comitij, quod statim post Vuormaciensem conuentum coeptum est celebrari anno 22, & finitum anno 23, ac semper postea appellatum est, etiam in recessu Augustano, in quem tamen bona pars seuitiæ, in edicto hoc decretæ, translata est.

Eamq; ob rem Ordines Imperij in eodem proximo post Vuormaciensem, Comitiali conuentu, Nurenbergæ celebrato, Nuncio Pontificio, cum questus esset de neglecta eiusdem ędicti executione, responderunt, eam executionē, à se grauissima de causa fuisse intermissam. Ne scilicet uiderentur uelle ueritatem Euangelicam opprimere, & impios abusus tueri ui tyrannica, eo quod populi

Populi Germaniæ essent multiplicibus & uarijs abusi-bus,à Romana sede,& alijs Ecclesiasticis intolerabiliter oppressos, idque iam admoniti ex libris Lutheri intelli gere. Ex his facile uidere est,quam frustra Cochlæus huic edicto,quod Ro.Tyranni improbitate extortum est, authoritatem, & uim conciliare conetur Edicti & decreti, quod omnium Ordinum Imperij Germanici, consensu fuerit approbatum.

Sed etiamsi omnium omnino Ordinum Imperij con sensu esset sancitum, tamen postquam Dominus dedit his ipsis Germaniæ Ordinibus agnoscere,quale sit, & quam aduersetur professioni Christianissimi,cur non ut pium,ita & glorioſum sibi ducant, resilire ab illo quàm primum,& parere Edicto illi patris cœlestis de filio suo Domino nostro Iesu Christo? Hic est filius meus dile ctus,in quo mihi complacui,hunc audite. Turpe est con stare sibi in eo,quod probari Deo nō potest, glorioſum autem mutare,quod ab eo institutum non sit.

Nam dum istiusmodi in Imperio Germanico hærēt edicta & decreta,quibus damnantur & extremis pœnis subijciuntur indubitata Christi & dogmata & instituta (id quod maior iam pars Celsit.uestrarū Dei beneficio agnoscit, fieri illo ipso Edicto Vuormacienſi et decreto Augustano) Christus ipse cōdemnatur,& supplicij sad dicitur. Qui tantum iam sanguinis sui,in doctrinæ suæ confessoribus profusi,tamque multa sua sæuissimè inter fecta et cremata membra,quibus cœperit ulcisci pœnis, pridem sentimus,tot pestilentijs accisi,toties recurrente fame afflicti,tot intestinis dissidijs & bellis attriti, pro-gressuq; tyrannidis Turcicæ tam sæuo & perpetuo de iecti & contriti.

Mox

Mox enim poſt Edictum Vuormacienſe, à quo diſcedi Cochlæus tantopere queritur, excitatum eſt bellum illud fæuiſſimum inter Imperatoriam Mai. & Regem Gallorum, quod in multos extractum annos, quantum attulerit calamitatum Europæ, Chriſtianum nomen retinenti, quis poſſit uerbis explicare? Turcarum quoque arma iam inde ferri in nos tanto ſucceſſu ceperunt, ut ab eo tempore, quo & Belgradum, paulo poſt etiam Rhodus, duo præcipua & munitiſſima Chriſtiani Imperij propugnacula, expugnata ſunt, nihil unquam noſtri cõtra hunc hoſtem feliciter potuerint præſtare.

Repulſo Euangelio Turcarum arma repelli à nobis non potuerunt.

Ad eundem modũ, cum Anno M. D. XXIIII. Nurnbergæ pie conſtitutum eſſet, ut eodem Anno Spiræ conuentus Germaniæ totius ageretur, in quo Imperij Ordines de reſtituendis Eccleſijs deliberarent & ſtatuerent, ac paulo poſt, calliditate Romani Pontificis tam neceſſarium et ſalutare inſtitutum eſſet ſubuerſum, inſecuta eſt mox horribilis illa ruſticana ſeditio et cædes.

Prohibita tractatione religionis, ſeditio ruſticana eſt excitata.

In ſequenti ſtatim Anno, cum in Comitio Spirenſi rurſus uetitum fuiſſet, de reformatione Eccleſiarum aliquid agere, accepta eſt pernicioſiſſima illa Chriſtiano Imperio clades Hungarica, in qua & Rex Ludouicus occiſus, & regnum Hungariæ à Turcis ita occupatum eſt, ut ab eo tempore illis extorqueri non potuerit.

Reiecta cauſa religionis, Hũg. rex occiſus à turcis, & regnũ occupatum.

Anno M. D. XXIX. quum altero conuentu Spiræ reſciſſa fuiſſet remiſſio Edicti Vuormacien. facta in priori Spirenſi Comitio, Turca Viennam uſque graſſatus, urbem ipſam circumſedit. Idem accidit etiam non multò poſt Comitia Auguſtana, in quibus Edictum Vuormacienſe reſtitutum, & pleraq; Chriſti decreta claris & apertis uerbis damnata fuerunt.

Vienna obſeſſa à Turcis, cum Spiræ Edictum Vuormaciẽſe eſſet reuocatum.

Irrito concilia-tionis initio Ratisponæ cæsi sumus apud Budã.

Anno M. D. XLI. quum Ratisponæ per paucos impeditum fuit, quominus initium illud piæ reconciliationis Ecclesiarum, de quo deliberatum erat, admitteretur: statim consecuta est nostrorum turpis fuga, & cædes apud Budam.

Quam quidem cædem atque fugam, quæ deinde sint consecutæ calamitates atque incommoda, nihil attinet commemorare, quum recens illorum memoria nimis alte sit omnium animis infixa. Superiori etiam anno quantopere in nos inflammata fuerit ira Dei, propter reiectionem causæ Christi, calamitate illa & grandine longe sæuissima, & quæ hanc subsecuta est rerum omnium penuria, grauissimo Imperat. cum Galliarum rege bello, & maximo progressu crudelitatis Turcicæ, satis superq; sumus experti.

Pseudotheologi quod nõ sçuitur satis in Luthera nos, causas calamitatũ faciunt.

Hæc autem Dei flagella tam aspera & crebra, hostes regni Christi, impunitati adscribunt, quę conceditur nobis. Nam Cochlæus & huius similes pseudotheologi affirmant, quod si monarchæ nos è medio tollerent, & nomen nostrum prorsus delerent: fore, ut hac ratione placato Deo, Turcicam immanitatem à Christianorum ceruicibus facile depellant: quasi ea in nos crudelitate, & Deo rem sint facturi longe gratissimam, & in patriam collaturi summum beneficium.

Sed qui aliquam Euangelij habent noticiam, & expenderint cuiusmodi sint illa propter quæ Rom. Antichristus iudicat nostrę professionis homines dignos esse, quos Reges & Principes omni genere crudelitatis, persequantur, quos funditus euertant & excindant: ij facile agnoscent cum sæuitia in Confessionem Christi, qua mundus insaniuit temporibus martyrum, & nunc rursus

rursus Deum irritat, recurrere nunc etiam ultiones illas Dei, quibus eam tum sæuitiam iustissimus Iudex compensabat. Nam & si multa (prohdolor) apud nos peccata deprehendantur: non tamen ob ea (sunt enim & reliquis illa communia) Pontifex nos persequitur: sed ideo solũ, quòd regnũ Domini nostri Iesu Christi cupimus utcunq; restituere: Quòd præcepta diuina cõstitutionibus hominũ anteferimus: Quòd Ecclesijs idoneos quærimus ministros, & inculpatæ uitæ homines, si non cælibes, tamen matrimonio copulatos, eorum loco, qui falsos modo titulos, & opes potestatemq; Ecclesiarum sacrilegè inuaserunt: & abdicato sancto coniugio puden dis atq; nefarijs cõtaminantur libidinibus, Quòd Sacras Lectiones, Psalmos & preces in Ecclesijs religiosè & cũ fructu eorum qui adsunt, explicari postulamus: barbarumq; illum & superstitiosum strepitum in templis explodimus: Quòd Sacramẽta et reliquas cęremonias atq; ritus in Ecclesijs, ad præscriptum Christi restitui, & ad instaurandam fidem in Christum efficaciter perfici petimus, remotis omnibus quæ inuecta in Ecclesias, fidei in Christũ officiunt: Quòd denicq; facultates Ecclesiarum sustentandis fouendisq; ueris Ecclesiarum ministris, Scholis & pauperibus impendi optamus, non autem ab ocioſis & impijs hominibus dilapidari: qui quoniam hostes Ecclesiæ sunt, ad bonorum & innocentum calamitatem illis abutuntur.

Propria sectæ Lucheranæ peccata.

Hæc sunt professionis nostræ propria peccata, quæ ut summa crudelitate persequantur, inimici crucis Christi suadent Principibus. Quòd enim plerique nostri ordinis contrà quàm uerbis profitentur, uetitis indulgent uoluptatibus, quòd ab ambitione & auaricia alieni non sunt,

Ob uera peccata, Lutheranos nemo insectatur?

sunt,eo nomine non uituperantur neque reprehendun tur ab aduersarijs,quia & ipsi tenentur eisdem malis,& multò quidem grauius. De amotis & non recte im-pensis Ecclesiarum facultatibus plurimum quidem con queruntur,sed non ideò,quòd illę ueris Ecclesię ministe rijs atque pauperibus subtractę,in prophanos usus con uertuntur:(nam ipsimet Ecclesiarū opes omnibus pijs usibus subductas, tyrannidi et luxui suo iampridem ad-dixerunt uniuersas) uerum idcirco, quòd ipsorū nequi-tiæ,uoluptatib.ocio & delicijs non nihil decedit. Qui ue-rò hæc omnia secum reputare uolent ; ut aperta quidem et expositа sunt omnium sensibus & oculis,nec ut inuol uuntur calumnijs, quas contra nos fingūt aduersarij no-stri,& hostes Ecclesiarum : ij non dubitabunt, quin illa crudelitate persecutionum,quam Ro. Antichristus iam pridem in nostrum ordinem, per omneis Europæ no-stræ prouincias excitauit, Christus ipse petatur & reg-num eius.

Dum ualet Edi ctum Vuorm.& Recess. August. in Germ. Chri stus hostis Ger manię iudicat.

Quę quidem persecutio & crudelitas, quoniam per Edictum Vuormacience, & Decreta alia Comitiorum comprobatur,certo statuēdum est,quamdiu hoc ipsum Edictum, & ea quæ diximus decreta illa ualebunt, atq; inter Leges nostri Imperij numerabuntur,tam diu Chri stum dominum haberi à nobis,& iudicari hostem Eccle się suę,& Imperij Germanici,subiectum pœnis omniū & atrocissimis & ignominiosissimis,quibus scilicet per hoc Edictum & decreta subijciuntur,quicunque doctri nam eius puram profitentur. Nam quę confessoribus ipsius iniurię fiunt,hæ ipsimet inferuntur.

Quam quidem rebellionem & ingratitudinem,ut & extremam sęuitiam contra filium suum,unicum redem

ptorem

ptorem noſtrum, Pater tandem ulciſcetur extremis iræ ſuæ ſupplicijs. Præter frequentes peſtilentias, & fames, aliaq; incommoda & damna, percutiet tam obſtinatos hoſtes filij ſui, deplorata mentis cæcitate, tradétque in ſenſum adeo reprobum, ut non ſolum ſe in deterrima probra & dedecora ipſi proijciant, ſed inuoluant etiam inexplicabilibus malis, inteſtinis ſeditionibus, & grauiſſimis bellis, quorum exitus nullus queat inueniri. Sicq; afflictos uenundabit tandem, atq; tradet genti, extrema & barbarie & immanitate horribili, & intolerabili, ut illi ſeruiant ſeruitutem, ſicut fœdiſſimam, ita et crudeliſſimam, Eò quod ingrati erga beneficia Dei innumerabilia, & ſibi ipſis inſenſi, non ſolum noluerunt ipſi Deo conditori ſuo, in ſumma libertate ſeruire, ac ſuſcepto in ſe filij ipſius longè commodiſſimo iugo, maxima felicitate perfrui: ſed etiam hunc unicum ſeruatorem noſtrum, & ſaluificum regnũ eius, atrociſſimis Edictis, atque ſupplicijs perſequuntur, & obſtinatiſſimè à ſe rejiciunt.

Idem certe eſt Deus qui olim: non mutatur hominum more, nec ſuas interminationes, quas in lege & prophetis omnibus propoſuit, nobis irritas efficiet. Dedit & nobis legem ſuam, dedit prophetas, dedit ſcripta Apoſtolica, & conſeruat hæc omnia nobis admirabili ſua bonitate, & contra portẽtoſam noſtram ingratitudinem, qua hunc theſaurum uitæ æternæ, adeo non pro dignitate excipimus, & cõtra inſidioſiſsimas Satanæ & Antichriſti technas, quibus illi perpetuo nituntur, ut hoc tantum donum nobis eripiant. Proinde quęcunq; Deus ſuo populo in his ſcriptis unquam præcepit & cõminatus eſt, eadem & nobis præcepit & minatus eſt, præcipitq; quotidie & minatur.

Expergiſcamur igitur tandem, excitarique nos tam acerbis iræ diuinæ flagellis, patiamur: diſcedamus ab impietate omni, & conuertamur ad Dominũ tota mente & animo. Voſque patres & paſtores gregis Domini agnoſcite, & conſiderate, quam uobis Dominus Deus & iudex noſter poteſtatem in Gregem ſuum dedit, adminiſtrandam in ſalutem eius, Ita ſane, ut de religione in primis ſoliciti ſitis, & ut ea purè ſanctèque adminiſtretur, procuretis: quo tranquillam et quietam uitam ſub ueſtro Imperio degamus, cũ omni pietate & honeſtate. Eamque ob cauſam tollenda ſunt & abolenda laudatiſsimo & neceſſario Conſtantini exemplo, quecunque contra ſynceram Chriſti religionem ullo unq; tempore decreta fuerunt. Quod ipſum ſicut Eccleſijs Chriſti maxime ſalutare: ſic uobis etiam erit cum primis glorioſum, & hoc ueſtrum Imperium uobis præcipue confirmabit. Hæc reſpondere ad Cochlæi conuitium uolui, quo ſcripſit, me ueſtris Celſitudinibus ſuadere, ut turpiter reſiliatis ab edicto Vuormacienſi, & alijs decretis, quæ illud Edictum confirmant.

Addit Cochlæus, me, dum ſeceſsionẽ à Ro. Antichriſto ſuadeo, nihil adferre, quo Celſitudines ueſtræ, uel honorem ſuum tueri, uel conſcientias firmare poſſunt: eò quod ipſe fatear, eſſe adhuc hodie in nouis ſectis non modicam de Religione diuerſitatẽ, atq; contẽtionem. Vident ueſtræ Celſitudines, quàm peritus Theologus ſit Cochlæus, & quàm acer Dialecticus. Nouas ſectas, quoniam ex Diabolo ſunt, nihil mirum eſt, inter ſe pugnare, & diuerſum ſentire, mirũ eſſet, ſi inter ſe conſentirent. Hoc ueró quid impedit, quo minus Celſitudines ueſtræ conſcientias ſuas uere muniant, & pacatas efficiant

Impiorum multiplices errores, nihil officiũt certitudini fidei piorum.

antex indubitatis uerbi diuini oraculis, & certissimis traditionibus Apostolicis, quas attuli ad comprobationem meæ sententiæ, uidelicet, non Pontificis Roma. sed uestrum esse, Synodum, pro restituendis Ecclesijs Germaniæ, conscribere, & omnino talem, sicut descripsi? Nam ad propositum meum & Scripturas adduxi apertissimas, & S. Patrum authoritates, & Leges, & Canones perspicuos, & rationes denique claras, & euidentes, quibus conuiciari quidem Cochlæus potest: rationem autem uel authoritatẽ firmam non potest ullam opponere.

His itaque præsidijs Celsitudines uestræ, & conscientias suas, & existimationem, apud Deum & recti iudicij homines, non minus confirmabunt, quàm suas conscientias & honores firmissimè constabilierunt olim pij Principes, Constantinus, filij eius, Theodosius & alij, qui per Synodos, eadem uia et ratione, quám à uobis nunc Ecclesiæ posunt, indictas & celebratas, salutariter consuluerunt Ecclesijs: tametsi etiam tum multæ & uariæ hæreses latissimè grassarentur. Nec enim potest quantumuis uarius & multiplex error impiorum impedire, quo minus S. Spiritus certos reddat homines de mandatis et uoluntate diuina, in qua sola & acquiescunt piorum conscientię, & dignitatem suam omnem collocant. Certò enim sciunt, quòd si impijs, & nondũ recte de regno Christi sentientibus hominibus placere studeant, & gloriam aucupentur: se non posse uel Christo seruire, uel uera gloria, quam Deus præparauit suis, perfrui. Denique oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, cum gloria manifestentur: tantum abest, ut ob id minus firmis sint conscientijs in suo officio, aut de sua ob id existimatione periclitentur. Galat. 1. Ioan. 7. & 12.

Sed

Sed Cochlęus earum rerum laudem atque ſplendorem reſpicit, quę ſunt apud Deum abominabiles. De uera aũt cõſcientiarũ tranquillitate, quid obſecro ſolicitus ſit, aut quid norit, qui ſempiternum Dei uerbum, quo ſolo conſcientię poſſunt trãquillari, tot iam annis ptinaciter oppugnat grauiſſimis & plane furioſis blaſphemijs?

POſt hęc debacchatur Cochlęus, more ſuo, in Luthe rum, facit eum authorem diſſidij in religione, accuſat peruicaciæ, quòd ſcripta ſua Vuormaciæ pertinaciter adſeruerit, nec Concilij iudicio ea uoluerit ſubmittere, quòd miſſis de ficta ſua captiuitate nuncijs tumultus excitare conatus ſit contra Catholicos, quod latibulum ſuum Pathmon uocarit. Et multo peiores inde libros, quàm antea emiſerit, neque hodie finem eius rei faciat: Verum indies fiat deterior, & ſanguinis fundendi auidior, & ad danda ſcandala procacior. Deinde ſubijcit, me, alterum Apoſtatam, ſimilibus ludis & artibus, Rom. Imperium indeſinenter conturbare.

Doctrina Lutheri.

Lutherus ipſe, hominem ſe agnoſcit peccato obnoxium, & taliſ etiam à ſuis agnoſcitur. Sed qui de ipſo & ipſius miniſterio uerum iudicium facturi ſunt, ut facere omnes debent: ij dubio procul iudicabunt, ipſum eſſe repurgandæ & reſtituendæ religionis Chriſti admirabilem, et ſalutarem cum primis miniſtrum, non authorem ullius noxij diſſidij. Quid enim aliud elaborauit ille, atque effecit tot iam annis, quàm ut homines, ſaluificum Dei uerbum, pernicioſis hominum traditionibus atque commentis anteferrent, ut fiduciam ſalutis, in filio Dei, uero ſeruatore, certa fide collocarent, non in conflictis ſuis aut aliorum hominum meritis, ut Deo quiſq; gratum

ſe ſtu-

se studeret approbare, ijs officijs & operibus, quæ sint et ipsi accepta, & reliquis hominibus utilia: utque hoc potius facerent, quàm ut se affligerent ipsi illis operibus, quę nec Deo grata sint, quoniam ea non præcepit: nec hominibus bono, cum nullam eis adferant utilitatem?

Hæc autem est unica & pura Christi doctrina, atque religio, quamobrem hanc restituendo, Lutherus nullam aliam excitare potuit dissensionem, quam eam, qua Christianos dissentire necesse est ab Antichristianis, & filios Dei à mundo.

Accusant autem quod inuehi soleat in Antichristianos oratione acerbiore, nec satis uerecunda. Sed quotus quisq; hanc contra Lutherum accusationem affert, non magis odio ueritatis, quàm desyderio sermonis lenioris & purioris, qui deesse scriptis illius uidetur? Qui regnum Christi uerè amant & perpendunt, quæ insit in illa religionis deprauatione, quam Antichristi inuexerunt, & adeo obstinate defendũt, aduersus Deũ cõtumelia, & quanta Ecclesiarũ pernicies: ij facile agnoscũt, nihil posse in illos dici, aut scribi satis acerbũ, & uehemens. Deinde illud quod in dictione offendit, compensant incomparabilia illa Dei beneficia, Ecclesijs per hunc uirum allata, tam præclaris sacrarum Scripturarum enarrationibus, & dulcissima illa atq; efficacissima tractatione præcipuorũ locorũ nostrę religiõis, Vt eius qui est de iustificatione per Dominũ nostrũ Iesũ Christũ, et eius, qui est de fructibus iustificationis, deq; officijs reparati & iustificati hominis. Quorum sane locorum explicatione & commendatione, sicut etiam Scripturarum, in nostram præsertim Germanicam linguam, translatione, atque explicatione, ille non superiores modo, uerum huius quoque

noſtræ ætatis uiros doctos omnes longo præcedit interuallo: quod pij omnes libenter agnoſcunt, & in Domino gloriantur.

Vexant Aduerſarij Scripta eius multis calumnijs, eo quòd ſicut dicere omnia ſolet uehementer, ita etiam nō illibenter grandibus utitur amplificationibus, & quod pleraq; effert uerbis, à communi conſuetudine nonnihil recedentibus: ut Lectorem magis excitet. Sed qui nec uiro ipſi, nec cauſæ alioqui ſunt inſenſi & qui ueritatis cupidi ſunt, ij nullis eius uel Hyperbolis uel παροξυσμοῖς impediuntur, quo minus ingentem piæ & ſalutaris doctrinæ fructum ex libris eius percipiant, ex ijs præcipue, quibus, explicat Scripturas & docet, Sed nec illos absque fructu hi legent in quibus pugnat.

Nullum igitur ille noxium de religione diſſidium inuexit, ſed diſſidium illud quod miſeris hominibus erat cum Deo, & ſaluifico eius Euangelio, ſuſtulit, & filios Dei reduxit ab Antichriſto, ad conſenſionem, fideique unitatem, cum omnibus ſanctis patriarchis, prophetis, Apoſtolis, hoc ipſo, quod eos coniunxit cum capite omnium Chriſto Domino, abſtractos à ſocietate mundi & Antichriſti, quibus coniuncti & aggregati eſſe non poterant, niſi à Chriſto auulſi & ſeparati.

Plurimum urit Aduerſarios, quòd de Luthero, tàm præclaro Dei inſtrumēto teſtamur id, quod res eſt. Groperus in ultima collocutione, quam cum eo Poppeldorffij habebam, cum inſtarem rogando, quæ nam eſſet cauſa, ut Colonienſibus quibusdam adeo ſorderem, & intollerabilis uiderer, cum à me antea non ita abhorruiſſent: reſpondit tandem in aurem, cauſam eſſe, quod in libro meo, de uera Eccleſiarum doctrina, cęremonijs, & diſciplinæ

disciplinæ reconciliatione ac compositione, Lutherum tantopere laudassem. Sed meminisse necesse est, omnesqui Christum amant, eius, quod D. Paulus scripsit suo Timotheo. Ne pudeat te testimonij Domini nostri, neque mei qui sum uinctus propter ipsum. Inuidiã enim ipsius Domini declinat, ac ita gloriam eius prodit qui declinat inuidiam, quam serui Domini fideles propter Dominum subierint. Nec potest uera quæri Ecclesiarum conciliatio, nisi id detur opera, ut quo quemque loco Dominus ipse in suo corpore collocauit, in eo talis agnoscatur ab omnibus pijs.

Verum non est hoc nouum Satanæ artificium, ut aduersarios regni sui, non tantum apud suos in maximum odium, sed etiam apud imperitiores filios Dei in fastidium aliquod pertrahat. Quod & aduersus Paulum, quia plus omnibus laborabat, fructusq; regno Domini adferebat uberiores, conatus est, nec sine successu. Nam queritur ille Timotheo suo, desertũ se ab omnibus qui in Asia erant. 2. Timoth. 1.

Sed ut ad institutum reuertar: ea quæ Lutherus docuit, eo spectant, ut uerbo Dei summum & præcipuum honorem tribuamus, ut Christum seruatorem solida fide apprehendamus, ipsumq; omnibus ueræ pietatis officijs imitemur. Eam doctrinã nisi constanter & Vuormaciæ & ubique adseruisset: Euangelion Christi prodi disset.

AD eundem quoque modum peccasset, si doctri nam illam ullorũ hominum iudicio submisisset. Nam sicut omnia uerbo Dei facta sunt ex nihilo: ita quoque parere omnia debent uerbo Dei: nec ulli creaturę de ipso iudicare permitti potest. Lutherus itaque De officio & iudicijs Concilio-rum.

Euangeliũ Christi prodit, qui illud, Synodo, permittit.

Concilio piorum hominum sua scripta examinanda, & an ex uerbo Dei essent prodita, dijudicanda semper obtulit. Verum si promisisset se pariturum esse sententiæ, quamcunque de suis scriptis tulisset Synodus, cum neq; sciret ex quibus hominibus cogenda esset ea Synodus, & probabile admodum esset, ut illa coiret ex Rom. Pontificis ministris, qui & purum Christi Euangelium ferre non possunt, & in gratiam Pontificis omnia faciunt, quid obsecro aliud hoc fuisset, quam Ecclesiam Christi, & uerbum Dei addicere libidini hostium Ecclesiæ Christi?

Quid? Etiam si uera tum Synodus coacta fuisset, & ex uiris uel ipsos Apostolos sacrarum rerum scientia & studio æquantibus, tamen quod essent homines, qui falli possunt & errare, quandiu hic uiuunt, nõ potuisset tali Synodo supremum de religione iudicium deferre, nisi cum summa impietate. Nam omnes qui premuntur adhuc carne, quæ non modo ignara Dei, sed etiam inimica Deo est, labi & errare possunt. Quocirca supremum facere de religione iudicium, nullorum hominum, nulli us humani Concilij, sed opus est proprium Spiritus S. qui solus ueritatem Euangelij mentibus nostris persuadet. Agit quidem hic spiritus & loquitur in sanctis et Apostolicis uiris: sed non solus, dum supereſt in illis adhuc etiam spiritus mundi.

Rom. 8.

Vt ex uerbo Dei inquisita ueritas melius doceatur, non ut iudicet tantũ, celebrãda sunt Concilia.

Eáque de causa nulli unq; Sancti, ad Concilia quamlibet piorum & doctorum Patrum, quæstiones de religione detulerunt, ea lege, ut quicquid ij iudicassent, illud absque ulla cum uerbo Dei collatione, & dijudicatione, recipiendum uel sibi, uel alijs putarent. De Concilio enim etiam Prophetarum, præceptum illud est: Cæteri

teri dijudicent. Nec ad id ſane cogenda ſunt Concilia Eccleſiaſtica, ut quæ in illis conueniunt, ſua ipſi authoritate de dogmatis Chriſti ſtatuant, ſed ut ueritatem & ſanam doctrinam è Sacra ſcriptura inquirant, & inuentã, prudenter & certò doceant, atque tueantur: confutatis erroribus quæ contrà excitati fuerint. 1.Cor.14. Quod officium Conciliorum.

Hanc ſane rationem obſeruarunt Apoſtoli, & ſeniores in Concilio ſuo Hieroſolymitano: Eandem ut ſequerentur, patres, qui conuenerant Niceæ, Conſtantinus piè adhortabatur. Euangelici, inquit, & Apoſtolici libri, & antiquorum Prophetarum oracula, clare nos eruditũt, quę oporteat de rebus diuinis ſentire. Poſita igitur hoſtili contentione, ex inſpiratis à Deo uerbis ſolutionem percipiamus eorum, de quibus quęritur. Act.o.15. Exemplũ pium Conſtantini.

Quam piam Imperatoris ſententiam ſecuti patres, ipſo Imperatore præſidente, & unà diſputante, audiuerũt primũ oẽs, qui aliquid adferre ad explicationẽ ueritatis poterant, & uolebant, non ex inferiore tantum ordine Clericali, (Athanaſius enim tum inter primos diſputatores, diaconus adhuc erat,) ſed etiam ex Philoſophis & Laicis atque idiotis: tũ pijs collationibus, quæ in quæſtionẽ uenerãt, religioſe pertractarũt, et demũ ex diuinis literis de ſingulis rebus ueritatẽ perueſtigatã, pnunciarunt. Hiſt. Tripartitæ lib.2.cap.2.& 3.

Quid ita? Deus ſuam gloriam alteri non tribuit: Solus uult, ut eſt, ita etiam agnoſci per omnia uerax, & omnem hominem, quod eſt, haberi mendacem, ne filij Dei alios ſibi, præter ipſum, uitę magiſtros deligant in terris. Vni Chriſto, filio ſuo, pater hanc dedit poteſtatem, ut ſpiritũ ueritatis à ſe emittat, quibus uelit: huius ſolius nutui addictus eſt paracletus ille ſpiritus, qui inducit in omnẽ ueritatem. Nullis hunc, quamuis excelſis ſedibus, niullis

etiam quamlibet numerosis congregationib. promisit.

Promisit autem illum pie & consentienter orantibus, pollicitus est, seipsum fore in medio suorum, sed qui in ipsius nomine conuenerint: Verum qui pura fide hunc spiritum orent, & in nomine Iesu, pure, nec ulla alia de causa conuenerint, ij soli Deo noti sunt, nullis autem hominibus. Deinde, ij quoque, qui & in nomine Domini uereconuenerunt, & Spiritum S. exorarunt, tamen dum simul adhuc etiam Spiritus carnis apud eos, ut dictum est, locū habet, an ex uero spiritu iudicent, non nisi collatione sententiæ illorum cum indubitato uerbo Dei, & ex Spiritu Christi iudicari potest: quem Dominus largitur suis, & carnis Spiritui prœualere facit, quādo & quantum ipsi uisum fuerit: non autem quando & quantum præscribunt ij, qui indicunt Concilia, aut qui ab hominibus in sublimi loco Ecclesiæ collocantur.

Dominus Iesus summus Episcopus animarum nostrarum sedens ad dexterā patris, ipse pariter esse apud nos dignatur & cotidie, usque ad consummationem sæculi, & implere perficereq; in Ecclesia sua omnia, idque hoc ipso suo Spiritu, altero Ecclesiæ paracleto, nullo hominum, siue singulorum, siue uniuersorū ministerio: quanquam uti horum ministerio & separatim & uniuersim præstito dignetur: uerum id pro suo arbitratu, non pro hominum uel dignitatibus, uel numero. Plantant & rigant ueri eius ministri, sed utrunque per se nihil est, nisi Dominus ipse det incrementum, quo perficiuntur omnia, Hoc uero ille dat ubi, & quantum ipsi uisum est, non pro hominum moderatione.

Certa igitur & indubitata sententia de religione, semper ab ipso Christo Domino, unico magistro nostro cœlesti,

leſti, per paracletum Eccleſiæ Spiritum ueritatis, petenda eſt, non autem ab ullis hominibus, in quamlibet magnis collati ſint thronis, & quantacunq; magna multitudine conuenerint.

Audiendi quidem ſunt & reuerenter omnes pij & fideles Chriſti miniſtri, & ſeparatim ſinguli, & uniuerſim congregati: dijudicanda tamen pijs omnibus ſunt, quæ iſti attulerint, ſed religioſe, et inuocato Spiritu Dei. Ad omnem enim Eccleſiæ doctrinam pertinet, quod eſt præceptum de Prophetijs. Cæteri dijudicent, & probate omnia, quod bonum fuerit, retinete.

Libenter etiam connenire debent ij, quibus rerum Eccleſiaſticarum curam Dominus commendauit, quoties aliquid uel in doctrina motum, uel in diſciplina perturbatum extiterit. Ac debent, qui conuenerint, inuocato paracleto Eccleſiæ, Spiritu S. propoſitis diuinis literis, propoſitis etiam cæteris Eccleſiarum monumentis, ſumma cum religione & cura, ex his ipſis diuinis literis, & ueris Apoſtolorum traditionibus, exquirere, quæ de ſingulis quęſtionibus ſit ſententia Domini: ac quicquid illis de his cognoſcere Dominus dederit, id qua poſſunt diligentia ſuadere, & qua licet authoritate proponere Eccleſijs, ſed indicatis fideliter & explicatis Scripturarum oraculis, quibus quod iudicarint, initur.

Vt autem Eccleſiæ, aut ſinguli etiam Chriſtiani, ea quæ in huiuſmodi Synodo, à pijs Eccleſiarum procuratoribus ſtatuta fuerint, quantumuis illi religioſe & conuenerint, & oblatas cauſas tractarint atque iudicarint, ſtatim recipiant, ſola ſtatuentium authoritate inducti, ſine ulla ſtatutorum ex ſpiritu & uerbo Dei, dijudicatione, hoc nulli fidi Chriſti miniſtri, et ſynceri myſteriorum

Dei

Dei diſpenſatores unquam requirent. Nam hoc ipſo in-
uaderent poteſtatem Chriſti, et facerent homines ſua po
tius, quàm Chriſti authoritate niti: quod eſt Chriſto ho-
mines anteponere. Nã Dominus gregi ſuo ſemper adeſt
preſens paſtor, & caput mẽbris ſuis perpetuo cohærens,
ſemper mouens & regens, eoque de uero ſui cultu, atque
religione ultimum facere iudicium in ipſorum menti-
bus, in quibus ſcilicet per fidem inhabitat, ſibi reſeruauit:
ipſe eos ſuo numine regere ac ducere, & tandem in om-
nem quoque ueritatem inducere dignatur. Interim ta-
men ut pij agnoſcant ſe eſſe homines, ſeque ipſi magis at
que magis addicant, ſinit etiam eos nonnunquàm labi,
ſinit errare & peccare: ſed nullo eos errore aut peccato
patitur perire. Oues enim eius è manu ipſius eripere po-
teſt nemo: nec abijcit ipſe illas, quas ut ad uitam æternam
colligeret, animam ſuam pro illis poſuit. Eóque cum ei
uidetur, emittit ſuos fideles miniſtros, qui errantibus o-
uibus, uocem ſuam ſynceriter inſonent, eámque ipſe illas
facit & agnoſcere & ſequi: ipſe de omni religione & re-
bus ijs, quæ ad cultum ipſius pertinent, ſua tantum do-
ctrina, ſua ſancta inſpiratione certos facit: ut iuſtus ſem-
per ſua, non aliorum hominum fide uiuat, & fide uerbi
ipſius, non ullorum hominum, ſiue illi ſingulatim, ſiue
in Synodis doceant & iudicent.

Iohan. 10.
Ibidem 6.

Debet autem nihilominus contra omnem impiam
doctrinam ſedulo inuigilare, & ſeueriter inſurgere, cum
Eccleſiaſtica, tum politica cenſura, eíq; miniſterio ſuum
quoque numen Deus adſpirat, ut ſit efficax ad reuocan-
dum ſuos ab erroribus: et non ſemper, neque pro ho-
minum iudicio et conſtitutione: ſed pro ſua uoluntate et
arbitratu nobis inſcrutabili. Idem id quoque ſuis præ-
ſtat,

Digitized by Google

ſtat, ut quæ hæreſes per hæc Dei miniſteria comprimi non poſſunt, tamen utiles eis ſint, ad hoc nempe, ut qui inter eos ſunt probatiores, manifeſti fiant, & in exemplū alijs celebriores: qui uerò minus probati, item magis innoteſcant, cum ſibi ipſis, tū alijs. Sibi ipſis, ut humiliati ſeſe Domino & Eccleſiæ perfectius addicant, & uerſentur in religione Dei cautius: Alijs autē, ut tempeſtiuiore remedio his aberrantibus ſuccurrere ſtudeant. Manifeſtātur etiā hac ratione hœdi, addicti ſcilicet Antichriſto, ut prodit uitentur. His itaq; quas cōmemoraui & nullis alijs rationibus certitudini fidei atque religionis, & tranquillitati tum conſcientiarum, tum Eccleſiarum conſuli poteſt & debet. Sapientes autem mundi à rationibus externæ politiæ, de conſtituenda Eccleſiæ diſciplina & gubernatione, prepoſtere diſputant: eóque & ſe et alios pernicioſe implicant & perturbant: non cogitantes Eccleſiam eſſe regnum cœlorum, & regem cœlorum Chriſtum, regere illam ratione plane noua, quæ à politica gubernatione tantum differt, quantum diſtat cœlum à terra.

Contra hæreſes uigilare debet politica & Eccleſiaſtica cenſura.

Sanctorum Patrum & traditionum item Apoſtolicarum authoritatem crebro iactant Aduerſarij: ſed ſi poſt acta Apoſtolica legerent, & piè expenderent, quæ de politia Eccleſiarum prodita nobis ſunt in Hiſtorijs Eccleſiaſticis, & authenticis monumentis probatiſſimorum patrum, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Baſilij, Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, Chryſoſtomi, et ſimilium: multo aliter de conſtituendis Eccleſijs & ſentirent & loquerentur, quam nunc faciant.

Latomus tamē ſubijcit Concilio generali Pont. Romanum, quod Pont. pridem hæreticum fecit: Pighius

uero non tam impium hoc, quàm insanum iudicat. Sed quomodo Latomus consulet hoc ipso suo Concilio, infallibili religionis iudice, Ecclesijs? Ante centum & triginta annos eoq; amplius, ex quo fuit Synodus Constantiensis, ab eo tempore nulla, quæ generalis quidem haberi iure queat, cogi potuit. Sed fac etiam Basiliensem, & æmulam eius primũ Ferrariensem, deinde Florentinam, generales posse uocari, tamen anni interceserunt plures centum. Quanti uero interim errores inuaserunt & nati sunt, quibus cum doctrina, tum disciplina Ecclesiarum tantum non extincta est? Christiani autẽ, quoniam ut sua quisque fide uiuat necesse est, omni momento opus habent certo & infallibili de religione iudicio. Hoc igitur non à Concilijs, quæ tam raro cogi possunt, tamque etiam dubia & incerta sunt, si cogantur, multo minus à Pontifice Ro. tanto Christi aduersario: sed ab uno Christo Domino magistro nostro cœlesti petendum singulis est. In Ecclesia quidem, & per probata Ecclesiæ ministeria, sed ita, ut incrementũ ministerij omne, certificatio scilicet cordiũ, et doctrina illa patris efficax, qua ad filium mentes pertrahit, perficiatur per paracletum, spiritum ueritatis, qui spirat ubi ipse uult, nõ ubi statuerint homines: quique inspiratur à patre & filio ijs & tũ, quibus & quando ipsis, nõ hominibus placuerit.

Ad hunc ergo modum quoniã res Ecclesiæ habent, & quoniam talis est Conciliorum ratio, ut dixi (ne quid interim loquar de Pontificijs Concilijs, quæ nihil minus sunt, quam uera Ecclesiæ Concilia) Luthero certe uitio dari nullo modo potest, quòd doctrinã suam haustam ex Euangelio Christi, noluerit submittere sententiæ Concilij, & Concilij nondum conuocati, quòdque non nisi

ex

ex ſummis Eccleſiarum hoſtibus cogendum expectaba tur. An uerò ulla eſt cauſa uel controuerſia tàm futilis, quam uir bonus poſtulet debere committi, ſine prouoca tione, ijs arbitris, qui nondum ſint nominati, quos etiam ueriſimile ſit eſſe nominandos ex infeſtiſſimis inimicis tum perſonæ, tum cauſæ, quæ tractanda ſit.

Quanquam, ut dixi, etiam ſi tum coactum Concili- um aliquod fuiſſet, atque ex talibus uiris, qui Apoſtolica prædiți eſſent cum ſcientia, tum ſtudio religionis: tamen Lutherus non ita iudicandam doctrinam ſuam tali Concilio permittere, ſalua pietate potuiſſet, ut quicquid eiuſmodi Concilium iudicaſſet, id ratum habiturum ſe recepiſſet. Nam hoc ipſo, illud, quod Chriſto & Spiritui S. proprium eſt, iudicium infallibile ueritatis, tribuiſſet hominibus, qui dum hic uiuunt, ſemper carni menda- cijs & erroribus obnoxij ſunt.

Laudandus igitur, non uituperandus hoc nomine Lutherus eſt, qui doctrinam Chriſti, quam Dominus eius miniſterio coeperat proferre, concilio hominum ſubijce re noluerit: Nam ſi hoc feciſſet, & interea dum Concili- um de ea iudicaret, obticuiſſet, Pontifex de celebrando Concilio indubiè nemini moleſtus fuiſſet: aut ſi quid hoc nomine extortum ab eo fuiſſet, illuſiſſet Orbi ſpectro a- liquo Concilij, ut nunc per Tridentinum ludibrium mo litur. Hęc de pia & Eccleſijs ſalutari pertinacia Lutheri.

Quę uero de latibulo Lutheri, cognominatione Path mi cohoneſtato, criminatur Cochlęus, leuiora ſunt, quàm ut refutari debeant. Eiuſdem tamen Euangelij cauſa Lutherus in illo ſuo detinebatur ſeceſſu, propter quam Io- (annes ſuam incoluit Pathmon.

ILla uero uaniſſimo, & crudeli mendacio à Cochlæo

obiiciuntur, Lutherum ex illo seceſſu ſuo nuncios de ficta ſua captiuitate emiſiſſe, ut turbas concitaret, peioresque quàm antea, libros edidiſſe, factúmque ſe ipſo indies deteriorem, ſanguinisque fundendi auidiorem, atque ob iiciendi ſcandala audentiorem. Lutherus enim uoce & ſcriptis hoc unum docet, ut Chriſto ſeruatori ſe homines totos dedant, atque hoſtibus quoque ſuis benefaciant: inter quos præcipui ſunt, catholici Cochlæi, uniuerſam ſcilicet carnis mundique uiam ingredientes: tàm abeſt, ut ullam unquàm dare occaſionem tumultus contra eos excitandi, ſanguiniſq; fundẽdi uoluerit. Vt à legitimo magiſtratu coerceantur, qui regnum Dei blaſphemijs, & ui atrociſſimè oppugnant, quis amans Chriſti et hominum non optet? Sed Lutherus, & quicunque ſunt pij uiri, nihil malunt, quàm id citra ſanguinem & tumultum fieri. Quantũ uero Lutherus obſtiterit ſemper omnibus conſilijs, quæ ad uim & cędem ſpectare uidebantur: ſatis agnoſcunt, qui animo ſyncero & ſcripta eius legerunt, & conciones audierunt: ut interim priuata conſilia, quæ uulgo ſunt adhuc incognita, præteream. Quod in poſtremo ſuo libro, De papatu per Diabolum conſtituto, Imperatorem monuit, de Imperij iure uindicando, et Antichriſti tyrannide diſſipanda, illud eo nititur Dei præcepto, quòd Spiritus S. explicuit Rom. 13.

Lutherus tumultus contra Papiſtas cohibuit: nõ excitauit.

Quid autem Pont. & eius mancipia, & in his Cochlæus, eiusque ſimiles doctores moliti ſunt, inde à Comitijs Vuormacienſibus, ut ſanguis hauriretur omnium, qui ſuum Chriſto ſanguinem conſecrarunt, non nobis tantum notum eſt. Certe niſi lentus ad iram Deus, Euangelij ſui hoſtibus & contemptoribus aliquantulum temporis ad reſipiſcendum concedere uoluiſſet: ſanguinarij iſt

iſti perſecutores rem pridem eò perduxiſſent, ut Germania multo ipſorũ met ſanguine fortaſſis inundaſſet. Pax autem noſtra Chriſtus, qui non uenit ut perdat, ſed ut ſeruet quod perijt, diſſipauit, mirabilibus profecto rationibus, impia iſtorum, & extremę crudelitatis conſilia, et conatus pernitioſiſſimos.

Nec enim clam eſt quid in Conſiſtorijs ſuis, quid apud Monarchas, quid in alijs conſultationibus, pactionibus, & fœderibus, Romanenſes contra noſtros ordines tentarunt. Nec etiam tam ſtupidi ſunt, qui doctrinam Chriſti puriorem receperunt, ut non intelligant, quo ſpectetur, dum non ſolum Rom. Pont. Legati & nuncij affirmant, ſed etiam ſummæ authoritatis ſcholæ palàm definiunt, nullàm noſtris ordinibus fidem ſeruandam. multóque magis eſſe è re Chriſtiana, & ex officio piorum principum, ut Lutheranos extinguant, quàm ut Turcam propulſent: eò quòd Lutherani ſint Turcis multò magis & impij, & noxij. Magis impij, quòd Turcæ in auitis perſeuerent erroribus ex ignorantia: Lutherani autem religionem paternam, pernicioſis hæreſibus, contra conſcientiam commutarint. Magis uerò noxij, quòd Turcæ externi, Lutherani inteſtini ſint hoſtes: deinde quòd nec Reipub. Chriſtianæ tranquillitas, nec uires poſſunt ad bellum Turcicum neceſſariæ, niſi extinctis Lutheranis, parari. Atque his rationibus nec paucis, nec parum potentibus Principibus id omnino perſuaſerunt, ut quoties in Turcam infeliciter aliquid tentatur, totum hoc noſtræ impunitati adſcribant: ac niſi nos ante ceu hoſtia Deo mactemur, nihil feliciter geri poſſe confirmẽt.

Exitioſa conſilia contra Lutheranos.

Lutherani deteriores Turcis.

Atque in his ipſis Comitijs ueſtris, quis non commoueretur, dum perpendit, coram quibus, et quo furore Iu-

lus ille cucullatus, pro sacra concione, ad cædem nostram, classicum clamauerit, suum Matza Matza ingeminans: & alter suum Væ, etiam cõtra eos, qui nostram doctrinam tolerant? Etenim isti cum hæc in sacris concionibus uociferantur: si non creduntur ea uociferari ex uerbo & spiritu Dei, cui scilicet soli hic locus debetur, debent sane coerceri ab ijs, qui Deo suum gladium gestant. Cum igitur non coercentur, sed studiosè audiuntur, an non sit hoc argumento, illos qui sic audiunt existimare ipsos hoc facere ex uerbo & spiritu Dei. Iam qui hanc persuasionem habent, eorum sane conscientiæ adstringuntur, ut quod illi monent & toties inculcant, re ipsa declarent. Vis autem conscientię quanta sit, qui conscientiam habent, non ignorant.

Hæc itaque omnia cum tam sæpe, & apud tam multos, tantoque studio, & adeo minime dissimulatis furoribus agitentur, non possunt sane à nostris haberi pro ludo: præsertim, cum nullis adhuc rationibus & pacificationibus id effici potuerit, ut Edictum Vuormacienſe, & Augustanum Decretum abrogarentur, quorum prę iudicijs nostri iudicantur hostes Ecclesiæ & Reip. damnantur ut deplorati hæretici, addicuntur omnibus pœnis, & communi omnium iure spoliantur.

Iam constat, quas occasiones nostri Principes sępe habuerint armis impetrandi ab aduersarijs paulo firmiorem in Germania pacem nostræ religioni, quàm potuerint hactenus pacificis consultationibus, & tractatibus: Sed neque extincta est in illis uis naturæ, ut non & ipsi saluos se peruelint, ac tantis periculis, et cõspirationibus contra se depulsis, in tuto uiuere: nec ignorant, quas etiam uires Dominus ipsis ad hanc rem contulerit. Quid igitur

cohíbuit,quíd permouit,ut in tantis periculís
ſſimis conatibus hoſtium,ſalute ſua commiſ-
o,maluerint adhuc in ſilentio et ſpe ſuũ robur
uàm in armis, ut expectandum potius duxe-
: Dominus ipſe ſceptro ſuo ferreo iſtos nomi-
ctes comminuat,inſtar teſtæ figuli,quàm ut ip-
iciũ de illis facere conarentur? Id ſcilicet,quod
o & à Lutheranis concionatoribus fundendi
s tàm auidis, excitantur ad tumutus concitan-
ra Cochlæi catholicos, & quòd ad iſtorum cæ-
guinaria doctrina inflammantur? Atqui beneſi
conſtat omnibus pijs,qui & Luheri & noſtrum
n quos iſti Lutheranos hæreticos criminantur,li
gerunt, & conciones audierunt, à multis ſæculis
ſſe populum adeo diligenter & grauiter inſtitu-
t intelligeret Euangelion eſſe Chriſti ſceptrum,
Dominus ipſe emittit, ut dominetur in medio ini-
ım ſuorum,ſic ut nullo habeat opus humano præ
quo uel defendatur uel propagetur. Nuſquàm e-
udioſius quàm apud nos, illud quottidie hominí-
culcatur,eſſe conditionem noſtram,ut ouium,quę
ıtioni iam deſtinatæ ſunt, oportere nos præcepto
empło Chriſti, etiam benefacere hoſtibus noſtris,
ılum illorum bono noſtro uincere: atque religío-
Chriſtianam ita defendere & propagare, ut pro ea
rum,non alienum ſanguinem fundamus.
)uam etiam id operam dent noſtri, eo ſatis demon-
ur, quòd apud nos nemo adhuc eo quod pontifici-
uperſtitionem ſectaretur,& tyrannidem adſereret,
rfectus eſt, nemo crematus, nemo uiuus ſepultus:
) ne tortus quidem, quanquam plerique eorum ob

blaſphe-

blasphemias in uerbum Dei, & insidias erga ciues atque rem pub. suã, mereantur sæpe graues dare pœnas, etiam ex præscripto ciuilium legum: quũ interim ij, qui Cochlæi, & id genus aliorum Rom. sedis satellitum, doctrinam & consilia sequuntur, nullo prope crudelitatis genere, suo satisfacere possunt uel odio, uel indignationi, in confessores Euangelij, magna ex parte probos & innocentes uiros, etiam aduersariorum testimonio.

Lutherana itaque doctrina, illa, si uera sunt mendacia Cochlæi, sanguinaria, quam plurimos dedit, qui suum pro salute hostium sanguinem fortiter profuderunt, condemnati à sectatoribus disciplinę Cochlæanę: sed qui sit ex ipsorum grege, ob superstitionem Romanam interfectus à studiosis doctrinæ Lutheranæ, neminem certe proferent: sicut nec qui ipsorum superstitionem suo uelint sanguine confirmare, multos exhibere possunt.

Ex his Celsit. V. facile intelligunt, quàm aliena à uero cætera sunt: tam alienum à uero & hoc Cochlęi crimẽ esse, de animo seditioso, atque sanguinis fundendi cupido, quem Luthero tribuit, ipse interim huic morbo uehementer implicatus, ut qui supra modum conqueritur & incessanter de suspensa tam diu sęuicia in Lutherum, & eos omnes, qui puram Euangelij doctrinam sectantur: cui acceptam fert & seditionem atque stragem rusticorum: magnumq; probrum esse dicit & dedecus nostræ nationi, quòd non pridem Lutherus & cum eo socij eius deleti sunt. Hæc responsa sint ad illa Cochlęi in Lutherũ conuitia, quib. eũ tumultus & cędis auidũ facit.

DEme præterea, quẽ uocat Apostatã, adiungit, me simulibus ludis & artibus sacrũ Ro. Imperiũ cõturbare inceſſabili machinatione. Quod ipsum eodẽ & spiritu

ritu & ueritate ſcribit, qua Achab Eliæ obijciebat eum perturbare Iſraelem. Cauſa enim eadem, gratia Chriſto eſt, ob quam Cochlæus mihi, & Achab Elię hoc contuliſſe fecit: quanquã ego longe ſum infra Elię & ſanctitatem & uim illam propheticam. Nec enim aut Cochlæus, aut ulli noſtri aduerſarij unquã demonſtrabũt, nos quicquam uoluiſſe mutatum in repub. Chriſtiani nominis, aliud, quàm peccata, & ſuperſtitiones, quàm idololatrias. Perturbantur quidem homines hoc inſtituto, ſed ad ſalutem ij, qui ſecundum propoſitum uocati ſunt: alij certe ad perniciem, ſed quam ſibi creant & acerſunt ipſi.

Vt neceſſarijs miniſterijs & idoneis miniſtris deprauata miniſteria & noxij miniſtri conmutent.

Optamus nos (uerũ loquor, neq; mentior, quod mihi Cochlęus mendacio tribuit) ut cuiq; relinquantur, quas ulla poſſit ratione tenere, propitio Deo, & opes & ditiones. Cenſemus etiam Eccleſiaſticos antiſtites poſſe propitio Deo atque Eccleſiarum commodo, ditiones & opes Eccleſiaſticas tenere & adminiſtrare, ſi ipſi uelint. Nec enim aliud ab eis flagitamus, quam ut illud quod ex his opibus inſumunt in miniſterium per ſe infimũ legẽdi et pſallendi in templis, & nunc etiã deprauatũ, (quoniam nec pure hæ Lectiones & Pſalmi exhibentur, nec ad erigendam fidem audiuntur) malint impendere in miniſteria Eccleſiæ per ſe non utilia tantum, ſed & neceſſaria, in miniſterium procurandi ſynceram Chriſti doctrinam, ſacramenta & diſciplinam: deinde etiam erudiendi bonis literis & artibus Chriſtianam iuuentutem: quod munus Clerici ſemper procurarunt, uigente adhuc diſciplina Eccleſiæ. Tum ut eos, qui nunc ab ipſis præfecti ſunt parochijs, ad hanc functionem modis omnibus indigni & inepti, commutare uelint hominibus

m

nibus ad hoc ministerium dignis & aptis. Ab hac uero correctione & necessaria & salutari, qua nihil quàm abusus pernitiosissimi tollentur, quid obsecro perturbationis cõsequatur, aut metuendum sit?

Tantundem uero expectandum conturbationis est, & ex ipsius sane ministerij restitutione, quam nos quæri mus. Quid enim in eo sit incommodæ nouationis, si quę in templis legi debent & decantari, sumantur ex diuinis literis, hominum superstitiosis commentis reiectis, legantur & canantur lingua populari, quam omnes pariter intelligant, & explicentur ad erudiendos auditorum animos? Item, ut sacramenta, sicut Dominus ipse instituit, integre administrentur, summa cum religione, & clarissima mysteriorum explicatione, remotis omnibus, quæ contra uerbum Dei ad obscurandum Christi beneficium, & auertendum fructum fidei, à malis & indoctis ministris inuecta sunt? Vt disciplina Ecclesiæ iuxta simplicem Dei uerbum, ad efficacem peccatorum & pœnitentiam & emendationem, & piæ uitæ perpetuam instaurationem procuretur, sublatis quæ ad hypocrisim tantum, uel humanorum operum superstitionem, contrà inuenta sunt? Vt Curatores Ecclesiarum matrimonium potius colant, quàm turpi & infami contubernio polluantur? Hæc nimirum illa sunt, pro quibus nos contendimus, quæque mutari in Ecclesijs requirimus.

S. ministerij reformatio in quibus consistat.

Optaremus quidem ex tantis opibus, quæ Christo sunt et Ecclesijs consecratæ, etiam ad egenos portionem æquã redire, quibus Canones addicunt bona Ecclesiarũ omnia, quæ quidẽ in religionis ministeria & instrumenta insumi necesse non est: sed in eo non consistit certa-

De opibus Ecclesiarũ nulla pugna.

men

men nobis: Verum in hoc uno, ut Christi regnum simpliciter restituatur, pura tum doctrina, tum Sacramentorum & disciplinæ Ecclesiasticæ administratione admissa. Quo facto, pauperibus collatio populi redundare poterit, ut D. Ambrosius respondebat, cum de agris Ecclesiæ suæ Imperatori non donandis quidem à se, sed etiam non negandis, uerba faceret.

Hæc igitur pura & simplex regni Christi restitutio, quam nos molimur, quam flagitamus, impijs quidem perturbat impietatem suam, & sceleroſis licentiam perturbandi & diuina & humana omnia circumscribit & impedit. At Imperium Germanicum & Respub. Christiana, nulla ratione alia tranquillabitur & consistet. Quam Cochlæus & id genus alij declamatores, pernitiose certe, consilijs suis & scriptis perturbant & exagitant, dum non cessant his Principes incitare, ut contra sti mulū calcitrent, illicq; sese opponant, cui pater omnē potestatem tradidit in cœlo & in terra: qui uidelicet est lapis ille, in quem qui impingunt, confringuntur, & qui comminuit eos omnes, in quos ipse inciderit.

Cochlæus dum uult demonstrare meam in mentiendo impudentiam, iubet legere Quaternionem, O, in secundo à me edito libro, quo loco dicit me scribere, nullum uere Christianum petere ullam externam mutationem in dominijs & bonis Ecclesiasticis: Aitq; hic me procul dubio nihil ex fide, nihil ex uero loqui.

Scripsi equidem eo loco, Christianam reformationem in externis dominijs & opibus Ecclesiarum nihil mutare, sed cuique sua in tuto potius collocare. Item ueros religionis administros fugere externas potestates & opes, exemplo Christi & Apostolorum, ex ijsque rebus,

Christiani ius suum in externis rebus cõcedunt: nec mutari quicquam temere uolunt.

quæ sunt ad hanc uitam necessariæ, nihil amplius petere, quàm quod ad hoc ipsum opus eis sit, ut ministerium suum Ecclesijs utiliter præstent. Adhæc cunctos Christianos homines abhorrere ab omni non necessaria ciuilis administrationis mutatione, & de externis bonis adeo non contendere, ut citius de suo iure aliquid alijs cõcedant, quàm ut ius suum cum aliqua charitatis offensione, nedum cum publicæ tranquillitatis perturbatione, persequantur.

Hic scribit Cochlæus, me proculdubio nihil loqui ex fide, nihil ex uero. De me enim ex suo animo iudicat. Sed si Dominus, repulso eò, qui ex Cochlæo loquitur, det ut Celsit. V. id tandem efficiant, ut in religione Christi, & sacris Ecclesiarum ministerijs ea restituantur, quę Dominus ita serio & grauiter requirit, ut his scienter comtemptis, nemo esse Christianus possit, & ut corrigãtur ea, quibus obstinate defensis, nulla potest obtineri pars in regno Christi, nec nomen Christianum iure cui quam competere: si qui tum ex nostris non reipsa declarabunt esse & in se uera, quæ scripsi de ministrorum continentia et parsimonia, omniumque Christianorum pia facilitate et cõmoditate: in constituendo et firmando administrationem opum et ditionum Ecclesiasticarum, eos & ipse non sum habiturus inter Christianos.

Quæ à proceribus Ecclesiæ petuntur à Lutheranis.

Sed illi uanitatẽ & malitiã Cochlæi facto refutabunt, ac planum facient, se nihil aliud à proceribus Ecclesiasticis, qui nunc Ecclesiarum ditiones procurant, postulare, quàm nè in sui ipsorum condemnationem, animarum cura, quã nec uolunt, nec possunt administrare, sese ipsi non tam onerent, quàm opprimãt: & ne ullis uotis, quæ præstare quoque non possunt neq; cogitant, sese Satanæ

tanæ potius illaqueent, quàm consecrent Domino: uerum communi potius & ueræ Christi religioni dediti, Ecclesijs adesse uelint, quò necessarios possint & idoneos habere curatores, atq; ministros: tum ut in hos, & salutaria horum ministeria, si non tantundem, partem saltem aliquam earum facultatum impendant, quæ nunc consumuntur, & in homines, & in ministeria Ecclesijs perniciosa.

In his uersatur meum perpetuum studium, hi sunt ludi & artes meæ, quibus Lutherum imitatus, Imperium Germanicum perturbare studeo. Vt regnum Dei ubique apud nos Germanos obtineat, laboro, id quod est iustitia, pax & gaudium in Spiritu S. quod nemini quicquàm accersit incommodi, nec detrahit commodi: sed auertit potius ipsum admittentibus, cuncta mala, & conciliat quicquid excogitari potest boni.

At uero quid boni, & quam tranquillitatem adferant consilia Cochleana, primum ipsi procerum Ecclesiastico rum ordini, deinde etiam cunctis populis & regnis: christianum nomen profitentibus, hoc præter Hungariam, & multas alias regiones, uastatas à Thurcis, nunc etiam ipsa Germaniæ, non paucis in locis calamitosa, liquidò testari potest. Et hæc quidem ad crimen illud mihi à Cochlæo obiectum, quasi Germaniæ sim turbator, respondenda putaui.

Quod Apostatã me Cochlęus uocat, fateor me factũ esse Apostatam Antichristi, cum sensissem me esse magno redemptum à Domino, ipsique in baptismate addictum, ut eius, non hominum seruus essem: & ad ipsius, non hominum præcepta uitam meam compararem. Crimen Apostatæ.

De uanitate, quam mihi authore Vintonienſi obiicit, Crimen uanitatis.

teſtis eadem grauitate eſt, qua accuſator: Vterque ſæuus hoſtis & Euangelio Chriſti, & mihi: quamobrem nihil inſolens accidit, quòd tam acerbe & hoſtiliter in me ſcribunt uterque. Id autē poſſum in Domino gloriari, eum non exiſtere, qui probare poſſit, ſe à me ſciente & prudente, uel in prophanis rebus falſum eſſe & circumuentum, nedum in cauſa religionis.

Liber Vintonienſis inſignis mendacijs & ſophiſmatis.

Cochlæus, ut ſuo teſtimonio pondus aliquod comparet, librum ſui teſtis Vintonienſis inſignem eſſe prædicat. Verū quàm inſignis ille ſit calumnijs & mendacijs, contra doctrinam Chriſti, quanquam id per ſe pijs hominibus ex ipſa eius libri lectione pateat, in breui tamen, ſi uitam Deus conceſſerit & ocium, demonſtrabo, & iam pridem oſtendiſſem, niſi magis neceſſaria Eccleſiarum miniſteria impedimentum attuliſſent.

Optarim ſanè omnibus fieri omnia, ſed iuxta præceptum Domini, ut ſaltem aliquos Domino lucrifaciam: non autem ut permiſceam & confundam omnia, quod Vintonienſis mihi tam uere obijcit, quàm ipſe uere procurat munus Epiſcopi chriſtiani. Qui Deum uerè timent, & uerbo eius credunt, non poſſunt non tandem inter ſe de omnibus neceſſarijs Chriſti dogmatis conſentire: eam ob rem dum incido in eos, qui timorem Domini, & ſcripturarum fidem præferunt, uel tales ab alijs prædicantur, ijs me libenter adiungo, & ſtudioſe quæro colloquendi cum illis occaſionem, præſertim ſi ſunt ex ijs ordinibus, ut & alijs authoritate ſua poſſint prodeſſe. Neque uerò grauatim fero, ſi mihi hi uel contradicant, uel noſtrorum hominum peccata acerbius obijciant, dum ſic uidentur animati, ut eis doctrina pietatis approbari tandem poſſit. Hoc uero ſtudio quærendi conſenſionem

fionem in religione cum ijs, qui uidentur ueræ religionis capaces esse, ac idonei, ut eandem cum ipsi percepe-rint, ad alios etiam proferant, quid aliud, quam quod mu neris mei religio poscit, mollior? quid nisi Domini nego cium ago, & officium præsto eius fidelis ministri?

Quantum uero ad testimonia Lutheri de me pertinet, nouit ipse met Cochlæus causam non esse, ut ea pro se contra Lutherum & me adducat. Consensionem pio rum Cochlæus, & id genus reliqui omnes aduersarij ue hementèr habent exosam, uerũ ut illa cõcutiat aliquando potest, ita, quoniam est in Domino contracta, dissolui non potest. Cum Luthero consentio.

Meum præterea in Domino coniugium pro puritate cordis, & oris sui, nomine polluit atrocissimo, dum incestuosum me uocat maritum. Equidem maritum me profiteor, sed eiusmodi, qualem Spiritus S. in suo ministerio requirit, ut sit uita ministrorũ irrepræhensibilis: incestuosum autem me esse pernego. Nec enim coniunctus fum aut fui cum ulla, quam coniungi matrimonio mihi uel natura, uel lex uetet, in quo uno crimen incestus consistit. Verum de hoc crimine satis respondi in apologijs meis cõtra Colonienses & Latomũ. Cumq; isti nostri calumniatores, tanta tamque manifesta flagitia, stupra, adulteria, incestus, & multò fœdiores libidines, ac nephandas, in seipsis, & ijs pro quibus pugnant, dissimulent, nemo est honesti studiosus, qui nõ uideat, ipsos nullo iure nostra posse accusare coniugia. Coniugij pu gatio.

POSTREMO & illud mihi Cochlæus, ut crimẽ obijcit, quod sim ausus publice prouocare Colonienses, & quosuis alios aduersarios, ut iure mecum experiantur,

riantur, idque confidenter adeò, ut legitimis pœnis me subiecerim, si quis me ullius erroris in religione, uel criminis in uita conuincere possit. Hac impudenti audacia scribit me triumphare de Celsitudinum uestrarum & omnium Catholicorum patientia & incircumcisis ac pollutis labijs improperare errores Ecclesiæ, columnæ & firmamento ueritatis, & prouocare quoslibet Ecclesiæ S. matris nostræ filios. Quæ si diutius dissimulent omnes, affirmat id summæ tribuendum esse ignauiæ, negligentiæ & diffidentiæ, quæ nec coram Deo, nec corã hominibus excusari possit.

Quare aduersarij ad Iudiciũ legitimum prouocentur.

Ego uero iudicio uestrarum Celsitudinum ita me, & hac lege, ut Cochlæus commemorat, audiendum & iudicandum obtuli. Sed idcirco neque de uestra, neque de aliorum patientia triumpho, multo minus impropero quicquam Ecclesiæ ueræ Dei. (Colluuies autem Antichristi, Ecclesia Christi non est) sed nec quenquam ad ullum certamem, nedum filios Ecclesiæ, non necessariũ prouocare unquam in animum induxi: uerum id quæro, ut & causæ Christi iustum tandem iudicium detur, ut quod compendio iudicationis partibus coram auditis, prolixa illa, & multiplicia Scriptorũ certamina præcidantur: quo de synceritate religionis & Ecclesiarum reformatione statui tandem possit.

Mallemus quidem, ut ij, qui uidentur habere, quæ in nostris Scriptis merito reprehendant, nobiscũ in Domino ipsi congrederentur, & uel absque, uel coram pijs arbitris nos admonerent, & erroris nos inuicem auditos cõuincerent. Quæ quidẽ cõditio, sicut à Domino est nobis mandata: sic etiam tractandis controuersijs de religione, maxime est cõsentanea. Sed dum illã aduersarij respu-

repudiant, proximum sane erat, ut nos coram Celsit. V. qui iussu Dei summum geritis magistratum in Germania, conuenirent, ac conuincerent ibi liquidò de ijs uel doctrinæ uitijs, uel uitæ criminibus, quæ perpetuo nobis obijciunt, suis & maledicis atque sanguinarijs illis concionibus, & scriptis æquè conuitiosis atq; crudelib.

Etenim controuersiæ nostræ pridem scriptis quam plurimis satis superque agitatæ sunt, & excussæ, possitque sæpe quæstio aliqua coram idoneis uel arbitris, uel iudicibus, intra unam horam uerbis abunde cognosci & dijudicari, quæ scriptis & libris intra multos dies tam probe solideque explicari non queat. Nam pro pietate nihil dici potest tam diserte aut communite, quod nõ calumnijs atque sophismatis deprauare queat & corrumpere, impietas.

Iam qui oppugnare doctrinam Christi uolunt, quandoquidem Antichristus eum laborem tam benigne suis illis sacerdotijs, & quę uocant, opimis beneficijs remunerat, ut Daniel præsignificauit: multi cottidie emergunt, qui & ocij satis ad scribendum à suis impetrant, & Ecclesiasticarum facultatum spolijs amplificati, copiose & magnifice habent: cum interea nobis, qui ueris & necessarijs occupati sumus Ecclesiarum ministerijs, nihil prope temporis ad eiusmodi concertationes reliquum sit, & eæ quoque commoditates desint, quarum mediocri facultate & fruitione non sint futuri contenti aduersarij. Sed ut nobis quoque nec temporis, nec aliorum administrorum aliquid desit: tamen quid conferat Ecclesijs ad illa nostrorum aduersariorum sophismata & falsa crimina tot condere libros eisdem de rebus?

Intra hunc unum annum ediderunt contra me iustæ

magnitudinis libros Cochlęus, Vintonienſis, Latomus, Gropperus: denique etiam ille Bacchi, Veneris & Aleç nobilis Coloniæ ſacerdos, Carmeliticæ ſuperſtitionis cucullo ornatus, quem tamen cucullum ille non tanti facit, quin fortunæ ludi illum aliquando exponat, ſacrũ illud pallium Elianum, & deperdita ueſte candida, domum redeat atratus. Hic ipſe uenerandus pater hodie colitur inter propugnatores Cleri Colonienſis, quem à Groppero memini non fuiſſe eo loco habitum (& id quidem iuſtis de cauſis) ut conſilia de religione cum ipſo communicaret. Hoc autem honoris ille ſuis calumnijs & blaſphemijs in Chriſtum eſt conſecutus.

Hi ſcriptores omnes easdem, & ſi non ſinguli omnes queſtiones tractandas contra me ſuſceperunt, eiſdemç contra me calumnijs & conuitijs debacchantur. Indignum igitur & peruerſum hoc ſtudiũ eſſet, etiamſi per uires & miniſteria Eccleſiæ neceſſaria mihi liceret, tantum perdere & temporis & Chartarum, ut ad ſingula iſtorum impudentiſſima conuitia, & anilia ſophiſmata reſponderẽ ſcriptis, quum uerbulo illa refutari queant.

Cõtra Latomũ Quomodo quiſç ſuo Iudicio in religione relinquendus ſit.

Latomus, ut ex multis exemplis unum adducam, argutandi & Sophiſticandi nec modum nec finem ullum facit, dum illud meum dictum exagitat, quo affirmaui, ſupremum de religione iudicium, non debere certo loco, uel perſonis adtribui, ſed ſuum cuiç relinquendum eſſe iudicium à uerbo Dei & Spiritu ſancto petitum. Sed ſi quod Spirę petebam ab eo, poſt editam meam ad ipſum Reſponſionẽ corã idoneis arbitris, pijs & doctis hominibus maluiſſet mecũ de controuerſijs religionis, quæ inter nos hærent, amicè conferre, quam ſuis ſe dedere adulatoribus, et inſtigatoribus, ad defendendum illud,

illud, quod nec ipse, nec alij rectè tueri possunt, equidem hoc paucis facile effecissem, ne in eiusmodi controuersijs tantum frustra sumeret laborem, neue doctis & pijs hominibus deplorandum sese præberet. Nam qui iudicio prædíti sunt uiri boni, hanc illius temeritatem & petulantiam in oppugnanda Christi doctrina non rident, sed miserantur potius. Etenim in illa mea responsione ad ipsum ædita, præoccupaueram & excluseram omnia illius sophismata.

Vt enim ad memoratum exemplum redeam, euidentissimis demonstrationibus euiceram, summum de religione Iudicium cuique pro se relinqui non solum debere, sed etiam oportere: Spiritum enim fidei, quo solo iudicium istud fieri potest, nemo mortalium, sed solus Deus inspirat, quibus ipsi uisum fuerit. Explicatum quoque abunde fuit in eodem libro, me non sentire esse unumquenque relinquendum suo iudicio, ut faciat quod uelit, sed ut credat, & de oblatis religionis quæstionibus pro se statuat quod uelit, non pro alijs, nedum pro uniuersa Ecclesia. Addidi etiam clare me de iudicio loqui, quod est donũ Spiritus sancti, nõ autem existimatio quędam carnis. Latomus putat multum interesse inter iudicium nostrum ex Spiritu Christi, & donum spiritus recte de religione iudicandi. In eo quoque iudicio diserte confessus sum, alios alijs antecellere, & ueris ministris ampliorem à Deo facultatem sæpe concedi: sed non tamen tamen, ut quod illi uel singuli, uel pariter omnes pronunciarint, id statim, ut sacrosanctum credi debeat. Sibi enim Deus, ut supra dixímus, hoc retinuit & seruauit, ut de cultu suo mentes nostra redderet certiores, nec ullis hominibus uel ordinibus, uel locis, id addixit. Deni

que & illud planum feceram, ex hac Iudicij libertate, nihil prorsus posse Ecclesijs incommodi existere. Adest enim Christus Caput Ecclesiæ corpori suo, & singulis membris, eáq; ita regit, ut omnem incertum motum, & perturbatũ actum ipse ab eis auertat, quantum eam bonitatis suæ, salutisque nostræ dispensationem addecet, quæ presenti uitæ decreta est, & congruit.

Hæc, & cætera quæ ad hunc locum explicandum requirebantur, quamlibet perspicue & copiose & euidenter in mea responsione explicata & demonstrata sint: tamen Latomus sophismatum suorum, falsarumq; Rhetoricationum telis, non aliter oppugnauit, quam si nihil horum in mea responsione, uel uerbo attigissem. A quo quidem nimis temerario conatu, si coram graui aliquo piorum & doctorum hominum cõfessu retractare hæc debuisset, facile sibi temperasset. Exhibuissem enim illi, si quid eiusmodi argutiarum, obiecisset, quę scripseram, rectius intuenda: tum si studio & feruore contentionis aliorsum quam ego scripseram, detorquere mea uoluisset, ad simplicem & rectam sermonis intelligentiam uerbo reuocassem. Nec enim uoluisset oppugnare quę uidisset, pie, clare, & recte esse perscripta. Et si oblitus sui, longius fuisset progressus, arbitrorum authoritate cohiberi potuisset. Nunc autem sibi & libidini uincendi, tum etiam suis adulatoribus atque impulsoribus relictus, mihiq; & causę offensus, unumquodq; dictum pro ut ipsi ad hunc modum affecto uidebatur uel absurdum esse, uel inabsurdum sensum posse trahi, statim arripuit, suisque sutilibus argutijs & intempestiuis Rhetoricationibus exagitauit, nihil sollicitus quid Ecclesijs utile, & quid ueritati consentaneum sit. Quæ qui

dem

dem omnia ſi ſcriptis denuo refutare debeam, non ſolũ actum agam, ſed etiam in me ipſum, in lectores, in Eccleſiam Dei ſim futurus iniurius. Nam & me fruſtra defatigarem, & lectori fruſtraneũ exhiberem laborem: & hac ratione magis neceſſaria Eccleſiæ miniſteria diſtinerentur. Iuſta igitur & urgenti de cauſa, non ut ad pugnam quenquam ſuperuacaneam prouocem, multo minus ut de ueſtra, aut ullorum hominum patientia triumphem, ad iudicium ueſtrum tales aduerſarios uocare inſtitui.

Idem quoque ut de Groppero faciam, religio officij mei poſcit. Hic enim ſimulatque lene & commodum illud Domini iugum, & cuncta ueræ religionis uincula, quibus teneri uidebatur, prorſus diſrupit, & ſe contra piam Archiepiſcopi ſui Reformationem acerrimum hoſtem profiteri cœpit, pudorem etiam abſterſit omnem, contemptáque conſcientia & iudicio tot præſtantium uirorum, in præcipuis etiam Ordinibus, qui quàm plurima impudentiſſime mentiatur, probe norunt, libr ũ contra me, confertum luculentiſſimis mendacijs euulgauit, quibus refutandis indigniſſimum ſit, uel chartam unam perdere. Hic ſi eô deduci potuiſſet, uel adhuc poſſet, ut coram graui aliquo iudicio me de his accuſaret, quàm multa eorum quæ in ſuo illo libro mihi obiecit, ſubticuiſſet, metu probationis ſibi imponendæ, quibus nunc furit, & debachatur in hac ſua ſcriptione, plane ſecure, nullum ueritus iudicium, nullam metuens probandi neceſſitatem.

Gloriatur quod in Comitio Bonnenſi obtulerit ſe probaturum è ueſtigio, Colonienſem Archiepiſcopum à me ſeduci in errorem, & à me tum aliter doceri, quàm

confessus fuissem, & ante colloquium Ratisponense, & in eo colloquio, præsertim quantum ad Sacramentum pertinet, ex eóque conatur mendacij me arguere, quod scripserim, me superioribus Spiræ Comitijs de hac ipsius criminatione primum esse factum certiorem: quasi illa consistere simul non possint, & quod ipse me accusarit Bonnæ, & id Spiræ primum ad me delatum sit.

Nouit certe Dominus, nouit Reuerendiss. Archiepiscopus, nouerunt idem plærique præstantissimi uiri, ex Comitum ordine, et ex ordine equestri, tum qui ex familia Archiepiscopi mecum Bonnæ familiarius uixerunt, me uehementer hoc flagitasse, ut ad reddendam rationem instituti ac ministerij mei coram ipsis Prouincię Colonienſis ordinibus admitterer. Sed ad me referebatur, Archiepiscopum quidem paratum fuisse me sistere ordinibus, idque illis obtulisse, Gropperum autem & suo & Capituli Colonienſis nomine protestatum esse, nullum se uerbum uelle commutare mecum: Quod autem obtulerit se Gropperus quasi mechirographo meo conuincere posset, falli & mutatæ doctrinæ, id me celarunt omnes. Nouerant enim fore, simul ac resciuissem illud, ut magis urgerem, ut purgandi mei & ministerij mei apud ordines prouinciæ copiam facerent.

Iam iudicent Celsitudines uestræ, inter Gropperum & me, utrum existiment constare sibi magis, & ueritate niti. Contendit ille maximopere & ante, & in utroque Comitio Bonnenſi, ut Archiepiscopus me, & socios ministerij mei dimitteret ac ablegaret: Archiepiscopus autem obtulit id se libenter facturum, si uel falsæ doctrinæ, uel impuræ uitæ quisquam nos conuinceret, eiusq; rei facultatem eis non semel detulit. Ego quoque cum intelle-

Digitized by Google

intellexissem, quàm esset iniquus ministerio meo Gropperus, impetraui, ut Archiepiscopus ante primum Comitium potestatem mihi faceret de meo ministerio me purgandi in frequentiori Concilio, cui præter ipsum Archiepiscopum interfuerunt Reuerendus Coadiutor, Comites, Theodoricus à Manderscheit, Guil. à Rennenberg, Gumbertus à Nuenar, Cancellarius, Gropperus ipse, ac plærique alij eximij grauitate, doctrina, & prudentia uiri. Coram his exposui rationem meę uocationis, et cur illam secutus essem, quæque esset mea functio, paucis explicaui: Adieci denique & hoc, audisse me, hanc meam functionem, & ministerium à magnis quibusdam uiris Capituli, & Cleri Colonienſis reprehendi, (quo quidem dicto, Gropperum in primis notabam) me itaque iam adstare coram Archiepiscopo ipso, totóque concilio, & paratum esse his, & quibuscunq; alijs, qui aliquid in meo ministerio requirerent, satisfacere, & demonstrare ex S. literis, Sanctorum Patrum authoritatibus, & Canonibus, ea quæ profiterer esse præcepta Dei, & semper obseruata esse à ueris Christi Ecclesijs. Ea finita oratione discessi è Concilio, Gropperus autem, ut postea intellexi, agnouit se notatum à me fuisse. Num igitur Clarissimi Principes illi tum tempus erat, an non satis causę datum fuit, ut meis Chirographis quemadmodum iactat, doli mali in religione, et peruersę doctrinę me conuincerent? Vt prouocatus sit Gropperus.

Iam uero notum est, quanto conatu, ne dicam furore Gropperus in utroque Bonnensi Comitio elaborauerit, abusus Capit. Colonien. nomine, ut reliqui Ordines unà cum ipsis à suo Archiepiscopo contenderent, ut me, & meos in S. ministerio collegas, ablegaret: et quò minus unà cum suis, ab Ordinibus reliquis

quis hoc extorqueret, nihil aliud obstitit, quàm quod Archiepus paratus erat exhibere nos legitimę cognitioni: Si igitur Gropperus habebat tũ mea chirographa ad manũ, ex quibus, ut nunc gloriatur, falsi me, & immutatæ doctrinæ conuinceret, quid obstitit, aut quid causæ putandum est, quamobrem id non statim persecerit? Quid? Illico postulassem ut exhiberet mea chirographa: & ex illis non ego, uerum ipse falsi, & mendacij conuictus fuisset.

Hæc quoque casua fuit, cur suo tàm calumnioso libro, quo nihil acerbitatis in me prætermittere uoluit, non sit ausus illa inferere, cuius tamen rei potestatem illi feceram, imò ut id faceret, prouocaueram, promissione facta, me nihilominus, quantũ ad ipsius ad me literas pertineret, quas tempore simulatæ, ut nunc intelligo, amicitiæ, ad me scripsit, seruaturum esse leges amicitiæ, quam uere & ex animo cum ipso colui. Sed proferat adhuc, quicquid habet à me, priuatim & familiariter ad se scriptum: ego certe nullam aliam opto mei purgationem ad uersus ipsius calumnias. Nihil autem supprimat: agat legitimè, & edat omnia integra, atque ut leges iubent recognita, ita ut ad fidem faciendam in legitima causę cognitione ualere possint.

Nam dum ex amico factus est hostis, & ex intimo quidem amico, ut ipse profitebatur, & hoc ob nullam aliam quam Christi causam, ac ueram emendationem Ecclesiarũ, cuius ipse desertor & proditor factus est, quod genus hostium reliquos omnes aduersarios, acerbitate odij longe superat: non potest ignorare, nihil sibi esse fidei cõtra nos accommodandum, ne iurato quidem, sed oportere certis argumentis aut firmissimis testimonijs, ea cri-

ea crimina, quæ nobis obiecit, comprobare.

Eorum, quæ scribit me sibi Vuormaciæ, & Ratisponæ esse confessum, contraria ijs, quæ postea in prouincia Colonien. docuerim, unicum nominat testem, Gerhardum à Veltvuick Imp. Maiestatis Secretariū: Sed etiam hic ipse, mihi factus est ex amico inimicus, si modo Colonienses illi delecti uera prædicant: Aiunt enim illum in me grauiter & acerbè multa dixisse, tunc etiam, cum amici præstaret mihi officia. Mitto, quæ fertur in me dixisse Bonnæ, postquàm eò cum Cæsare uenisset. Atqui ego illum propter præstantissimas ingenij dotes, amicum habere malim, quàm inimicum: sed si discessit à beneuolentia, mihique factus est inimicus, iam Gropperus nouit, ei nullum relinqui posse locum dicendi contra me testimonij: deinde, ut non sit inimicus, tamen, quoniam unicus est, non satis esse testimonium illius.

Atqui Groppero, nisi clarè mentiatur, nullis est opus testibus, habet enim mea chirographa, prodat igitur illa, quò me conuincat: id futurum est ipsius commodo, & meo magno dispendio. Quamdiu hoc non faciet, et quo ad non ostendet uel meis chirographis, uel quauis alia ratione, in prouincia Coloniēsi aliter me docuisse, quàm professus ei fuerim, aut etiam cuiuis alij, ante, uel in Colloquio, uel post Colloquium Ratisponense: tamdiu certe omnes, qui calumnias ipsius contra me legerint, cogitabunt, ex corde malo, iuxta Domini sententiam, non posse non prodire mala uerba, presertim in seruos Christi, & iuxta tritum prouerbium: Os inimici nihil boni de eo, quem oderit, effari.

Iam, quanta feratur, & quā furiosa calumniandi mei cupiditate: uel hoc ipso plus satis & nimium pudende

declarauit, quod ausus mihi sit obijcere, illius libri, qui in Colloquio Ratisponensi propositus fuit, de prauationem: nec habet tamen, quo id probet, argumentum ullum, præter quam erratula quædam, uel Scribæ, qui librum descripsit, uel Typographi, qui eum excudit, cũ scilicet per imprudentiam, absque omni dolo est fortè omissum aliquid, aut mutatum. Nam annotari fecit, quod, ita, positum sit, pro ritè, propositis, pro, prępositis, nam, pro, iam, constitutionis, pro, institutionis, quia, pro qua, alleuabit, pro alleuiabit, Eucharistica, pro, Eucharistia, & similes, Scribarum & Typographorum uulgares lapsus, qui aut sententiæ nihil adferunt incommodi: aut certè à quouis paululum attento lectore animaduerti possunt, & corrigi. Equidem librum istum, ita ut fuit Ratisponæ descriptus ex eo, quem Imp. Maiestati obtulimus, Typographo excudendum dedi, ne una quidem syllaba per me scienter mutata. Cum igitur tanta sit accensus deprauandi mea omnia, libidine: facile uident uestræ Celsit. & omnes uiri boni, quid ei credendum sit asserenti meas confessiones, & antilogias, atque etiam iactanti mea chirographa.

Sed de maximis præterea, & luculentis quibusdam mendacijs apud multos præstantissimos uiros, ex suo ipsius libro iam conuictus est: apud eos scilicet omnes, qui memoria adhuc tenent, quid Ratisponæ, et postea, non de me tantum, sed etiam de plærisq; dogmatis, quę nunc fœuissimè oppugnat, prædicarit & testatus sit.

Quę Gropperus Ratisponæ concesserat.

Primum meminit illustriss. Princeps elector Brandenburgensis, meminerunt alij, qui Concilio Electorum Ratisponæ interfuerunt, quid suaserit, primum de admittendis per Germaniam articulis conciliatis omnibus: deinde

deinde de tribus illis præcipuis, de Iustificatione, & usu integri Sacramenti, & connubio Sacerdotum. Nunc tamen non pudet eum tàm miserè in his tergiuersari, & quæ tum disertè, & constanter censuit, & suasit, uerbis nunc uariè inuoluere, & aliò detorquere, partim etiam penitus silentio præterire.

Norunt etiam præsides atque auscultatores Colloquij, quàm uanum illud sit, quod scribit, cum de Eucharistia grauior esset oborta concertatio, fuisse nos, me & collegas meos, grauiter admonitos, mandato Cæsaris, ut de permanentia Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, et reseruatione Sacramẽti, & adoratione clarè, perspicuè & disertè responderemus, ea quæ Gropperus commemorat.

Eadem uanitas conuincitur & ex nostro Scripto de Eucharistia, quod Imperatori post colloquium obtulimus, quodq; ille à nobis recepit, in quo nullum uerbum est de illa permanentia, reseruatione, uel adoratione. Quod quidem scriptum Imperator à nobis utique non erat accepturus, si nostram confessionem de ijs rebus, tanto studio, ut Gropperus scribit, antea postulasset, ac etiam accepisset. Quid etiam illis ipsis Gropperi uerbis, quibus uideri uult sententiam nostram, quinq; illis scriptis nostris, de quibus adeo gloriatur, expressam referre, apertè euincitur, nos nequaquàm ea concessisse, quæ ipse dicit à nobis concessa fuisse. Id quiuis attentus & æquus lector, per se clare uidet, qui hunc locum in Gropperi libro legerit: multò clarius id uisurus, si Gropperus illa, quæ iactat scripta nostra, edidisset: Quod ut manifestum facerẽ, ederem ipse hæc scripta, si mihi superessent, sed testor Deum ea apud me non haberi: etenim cum nihil illis

Calumnia Gropperi de Eucharistia.

Folio. 10.

hil illis inter nos fuerit confectum, seruandi ea nulla nobis cura fuit, quæ etiam an quinque fuerint, admodum dubito.

Id autem uerum agnosco, posteaquàm Eccius, ut piæ Ecclesiarum conciliationi, sic etiam Colloquio Ratisponensi multum infestus, illam de Eucharistia disputationem, exasperasset, & eo tempore percussus à Domino graui febri, destitisset à collocutione, interim autem nos traduxisset tanquàm eos, qui ueram Domini in Sacramento præsentiam, et exhibitionem non agnosceremus, eò quòd nec reseruandum, nec prostituendum, nec circumferendum Sacramentum ad adorationem, & exter nam illam pompam recens inuectam concedebamus: nos ne iniquam et falsam hærere in nobis suspicionem pateremur, etiam ne piæ Ecclesiarum Conciliationi officeremus, mentem atque sententiam nostram aliquot Scriptis explicare, & quid de toto Sacramento, omnique eius usu crederemus, testari uoluisse. In his autem nequa quàm ea insunt, de quibus gloriatur Gropperus. Nam ut in cæteris rebus omnibus: ita & in hac quæstione de Eucharistia, nitimur & inhæremus uerbis Domini, id quod tum & in Collocutione uerbis, & illis, quorum meminit Gropperus, scriptis, abunde testati sumus. Ea uero sic habent: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur. Quæ quidem uerba sunt Domini, suum corpus quidem uerum reipsa exhibentis, sed ad manducandum. Hunc usum Dominus diserte expressit: ideoque libenter fatemur, & cõfessi tum sumus, cum Sacra cœna ex instituto Domini celebratur, et ut à Domino præceptũ est, Sacramenta distribuũtur, atq; sumuntur, adesse, exhiberi, et sumi uere & realiter corpus & san-

& ſanguinem Domini, Dominum ipſum, cibum uitæ æternæ. Sed cum hoc Domini inſtitutum, diſtribuendi & ſumendi corpus & ſanguinem eius, reijcitur, & nouus cultus inuehitur panis, cum ad ſpectandum, & externa pompa adorandum reponitur, exponitur, & circumfertur: quid obſecro de præſentia Domini, qui & in uerbo, & in Sacramento ſuo tam grauiter contemnitur & reijcitur, ſtatueremus? Nam cultus iſte ſpectandi panem, et externis adorationis ſignis uenerandi, ſicut nullo Dei præcepto traditus eſt, ita quoque ueteribus planè fuit incognitus. Non enim dixit Dominus, Accipite, & externo cultui reſeruate, circumferte: ſed accipite & manducate. Quo quidem uſu Sacramenti contenta fuit omnis antiquitas, ut quæ ſciret non eſſe conceſſum hominibus, ut Chriſti Sacramenta immutent, & nouos ad illa cultus affingant. Debemus igitur & nos eodem uſu merito eſſe contenti.

Cultus panis ignoratus Veteribus.

Dum autem Gropperus, & alij inſtarent de communione ægrotorum, non reiecimus eam, nam et in noſtris Eccleſijs eam retinemus. Vt autem plena conſtet Sacramenti ratio, & accedente uerbo ad elementum, fiat uerum Sacramentum, reſpondimus, & apud ægrotos uerba Domini non eſſe tantum indicanda, ut ſcribit Gropperus, ſed grauiter etiam recitanda, atque Sacramentum perfecte ibi eſſe conficiendum, atque exhibendum.

De reſeruatione Sacramenti.

Non ignoramus quidem ex Cypriano & alijs patribus, Euchariſtiæ panem aliquando eſſe aſſeruatum, ſed non ea ratione, quam Gropperus ſit admiſſurus. Nouimus etiam plærasque Eccleſias iudicaſſe nullas eſſe reliquias Euchariſtiæ ſeruandas, alicubi etiam morem fuiſſe, ut exurerentur. Nos itaque quod tutiſſimum eſt, pro

Sermone de Lapſis.

officio pietatis sequimur, ut ubicunque nobis fractio panis Dominici, & corporis Dominici communicatio celebranda uenit, ibi summa etiam cum religione uerba Domini recitemus.

De Adoratione Sacramenti.

De adoratione quoque Sacramenti in eo colloquio ualde agitatū fuit, sed quid aliud largiri potuimus, quàm quod datum à nobis ipse Gropperus meminit, Christum uidelicet adorandum esse etiam cum Sacramentum sumitur, & Sacramentum reuerenter sumendum, ita ut in nostris Ecclesijs obseruatur.

De Transubstantione.

Cum uero & Transubstantiationem suam, ex quibus dam ueterum dictis, at non recte intellectis, probarec onarentur, respondimus multo rectius nos imitari S. Patres, affirmantes in Sacra Domini cœna fieri panis mysticam, non autem naturalem mutationem, hoc est, talem, qua is, qui ante nihil quàm panis erat, uirtute Domini fiat Sacramentum, quo exhibetur uere corpus Domini.

Quod hæc ita sese habeant, nouit Gropperus, & alij quoque nouerunt auscultatores collocutionis. Nec enim oblitus ille est, quæ sit apud ipsos, & Contarenum inquisitio facta, & quantopere ille fuerit admiratus, cū deprehendissent, nos contra Transubstantiationem adduxisse testem certum, Gelasium Rom. Pontificem, qui ex eo, quod in Sacramento duę substantiæ permanent, ambæ in sua natura integræ, & non mutatæ, substantia scilicet panis, & Corporis Domini, probare uoluit, ita etiam in Christo duas naturas integras consistere, in unitate personæ, diuinam & humanam.

Laborant aduersarij, ut grauissimos abusus, quos non solum contra uerbum Domini, & traditionem Apostolicam, uerum etiam contra omnem obseruationem uetu rum cir-

Digitized by Google

rum circa hoc Sacramentum inuexerunt, tueantur, quod ex Sacramẽto, remota fidei eius dispensatione, lucrosam sibi fecerunt in Missa oblationem, & extra Missam, gratum uulgo spectaculum, quo utroque inuento, ipsorum quidem grandescit dignitas, & augentur commoda: sed miseri homines interim in illa impia & pernitiosa opinione confirmantur, ut hac Sacramenti oblatione, & hoc eius spectaculo, cultúque confidant, mala sibi omnia depelli, & cuncta bona conciliari, etiamsi uacui perseuerent omni peccatorum uera pœnitentia, & fide in Christum solida. Nos igitur contrà & nostris retinere, & restituere alijs enitimur institutum Domini in hoc Sacramento, usúmque eius uerum & salutarem, enitimur, ut homines scilicet fideli Sacramentorum tractatione, & communione, in fide ac communione Christi proficiant, nouis istis cultibus repudiatis.

Grauiss. Sacramenti abusus.

Cumq; in eo omnem Ecclesiæ antiquitatẽ à nobis stare certũ sit, id etiam ut tum cognoscereẽ operam dedimus. In eo itaq; fuit & in Colloquio Ratisponensi tota huius controuersiæ inter nos disputatio & uerbis & scriptis consumpta. Hæc multi fide dignissimi uiri sciunt ita habere, & ex scripto nostro, quod Imperatori exhibitum fuit, & publice editum, sed & ex ipsis Gropperi uerbis, quæ ex nostris, ut ait, scriptis, in suũ librum relata sunt, satis euidenter euincitur. Conuictus igitur est Gropperus & hoc in loco aperti mendacij, & impudentis calumniæ.

Licẽtia Missandi absq; communicãtibus, utẽdi altera specie Sacramenti.

Huius generis & illæ sunt, quod ausus est scribere, me ipsi proposuisse, ut mediam aliquam uiam restituendæ Concordiæ inter Protestantes, & reliquos Ordines Imperij, si liberum fieret Missas habere absque communicantibus,

cantibus,& alteram tantum,uel utramq; ſpeciem Sacramenti diſtribuere ac ſumere. Nam gratia Chriſto mori malim quam tantam Sacramenti admittere deprauationem,& mutilationem,contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium. Et qua nam ſpe iſtam conciliandi rationem Groppero propoſuiſſem, cum ſcirem & Schmalcaldæ paulo ante,& eodem fere tempore Vuormaciæ, queſtionem hanc inter Collegas tractatam, & ex uerbo Dei conſenſum & decretum fuiſſe, nullis nos hominibus poſſe liberũ facere,utChriſti Sacramenta ſic deprauent & truncent,hoc eſt,ut ea uel tractent ſine diſtributione, uel non diſtribuant integra. Nam uerba Domini clara ſunt: Accipite & manducate, Accipite & bibite,Et bibite ex eo omnes.Cũ inq; hæc omnia probe ſcirem,eiq; decreto,quod tũ à noſtris factum fuit,interfuerim ipſe, & ſubſcripſerim,qua ſpe Concordię potuiſſẽ ea quę Groperus mentitur,adferre? Proinde ipſius hæc ſunt,non mea commenta.

Aeque euidens mendacium & illud eſt, quod in ſuo calumnioſo libro, folio 41, ſcripſit, nos collocutores huius partis, per ipſos collocutores alterius partis, ui ueritatis & ſcripturarum eo fuiſſe redactos,ut fateri nos oportuerit, & id contra Lutheri omnium noſtrum Magiſtri doctrinam,iuſtificari nos, & ſaluos fieri, non per fidem nudam, & ad hona opera inefficacem, id eſt, *nit durch einen bloßen vnd werckloſen glauben*, ſed tantum per fidemueram,uiuam,quæ per charitatem efficax ſit ad omnia bona opera. Et hac noſtra confeſſione commotum in nos Lutherum fuiſſe, quæ cauſa fuerit, ut mutare poſtea hunc ipſum articulum conati ſimus. Hanc autem illius tam impudentem mendacitatẽ,quis non abhorreat? cum

Apertiſſimum mẽdaciũ de fide iuſtificante.

Digitized by Google

cum eam redarguant tot noſtri libri, qui paſſim manibus piorum teruntur, & illa ipſa, quam citat, Articuli huius à nobis adiecta poſt Colloquium declaratio? Quis enim neſciat, qui modo Lutheri, & noſtros libros legerit, nos affirmare iuſtificationem noſtri, id eſt, remiſſionem peccatorum, & adoptionem noſtri in filios Dei, & conſortes uitæ æternæ, donum eſſe Dei gratuitum, quod nullis noſtris poſſumus operibus mereri: ſed fide tantum Euangelij, fide Domini noſtri Ieſu Chriſti percipimus, fide uiua, fide, quæ eiuſmodi opus ſit Spiritus S. in nobis, quo regeneremur, & figmentum Dei conſtituamur, conditi ad bona opera. Purum igitur & merum mendacium eſt, quod ſcribit, Lutherum, aut quenquàm noſtrum unquàm docuiſſe, hominem iuſtificari fide, quæ ſit bonorum operum ſtudio nudata, & ad bona opera inefficax, *durch einen bloſſen vnd werckloſen glauben.* Hoc uero affirmamus, fide nos iuſtificationem noſtri à Deo percipere, non quatenus ex illa gignitur, eique adhæret individua comes, charitas, ſtudiúmque omnium bonorum operum, ſed quatenus apprehendit miſericordiam Dei in Domino noſtro Ieſu Chriſto, propter eundem unum ſalutis noſtræ ſequeſtrem, peccata nobis gratuito remittentis, & uitam æternam donantis. Simul autem ſemper diſertè & clara uoce prædicamus, fidem, cui non ſit coniuncta charitas, cui non inſit ſtudium bonorum operū, non eſſe fidem Euangelij ſolidam, & uiuam, quæ nos filios Dei facit. Eſt igitur & hoc loco Gropperus, ſuo ipſius, & noſtris quoque ſcriptis mendacij clarè & irrefragabiliter conuictus.

Quo intelligendum fide iuſtificamur.

Ita & illud apertiſſimè falſum eſt, quod ſcribit me ſcire Lutherum fuiſſe nobis offenſum propter hunc articu-

p lum:

lum: Eius enim rei mentionem nullam ante hac audiui.

Iam quale & illud sit, quod sequitur, perpendite. Scribit in suo libro, folio 22, se multa annotasse ex illo meo libro, quem edidi de uera Ecclesiarum reconciliatione & compositione, in quo de peccato originali scripserim, non solum prioribus meis confessionibus contraria, sed etiam plane impia, & furori Manachęi consentanea. Credo equidem Gropperum ex hoc, et alijs meis scriptis, præsertim ubi factus fuit inimicus, impiè & peruersè multa sibi annotasse, uerum ex suo calumnioso cerebro ficta nostri odio, non ex meis libris excerpta. Habet enim hunc morem, ut nostros libros odiosissimis & maxime calumniosis annotationibus proscindat. Vt autem Celsit. V. uideant, quàm sit sui factus dissimilis, cōferte cum his ipsius calumnijs ea, quę mihi respondit aliquando de hac ipsa parte libri mei, quam ei miseram. Sic autem habent eius uerba Epistolæ, quam 8 Augusti anno 1542 ad me dedit.

Testimonium Gropperi de scripto Bucerí bonum.

Accepi eam partem operis, quam de Originali peccato conscripsisti. Vtinam toti operi, ad eam, quam cœpisti, rationem, ultimam colophonem imposuisses. Multis enim aperires oculos, qui graui philautia obcęcati, quod se uidere putant, non uident. Ago gratias partis ad me transmissæ, acturus maiores, ac relaturus etiam, ubi potero, cum miseris opus totum. Hæc ille, quæ quidem ex eius ad me literis non eram hic recitaturus, nisi testatem eius rei mihi feciſſet ipse. Respōdebit ad hęc forsan, sicut in libro suo iam ædito respondet ad alia pleraque, nempe, ita uisum sibi tum fuisse, cum obiter mea inspexisset, posteaquàm autem illa relegit, & diligentius expendit (animo scilicet iam hostili) multo aliter se iudicare.

care. Atqui tantum Ecclesiæ catholicæ doctorem,& columen non decebat scriptum damnati hæretici, (ut me ille haberi vult) obiter solummodo inspectum sic laudare,& id literis etiam confirmare,præsertim cum hoc genus hominum sibi plus satis alioqui sumat contra Catholicos.

Sed non est nunc locus omnia Gropperi mendacia & calumnias refutandi. Euocaui illum ad iudicium legitimum Imp. Maiestatis & uestrarum Celsit. atque in eo persisto. Nam hac ratione,mendacia eius,& certius,& minori temporis atque operæ iactura poterunt conuelli. Et quia iudicium hoc detrectat, facile uident uestræ Celsit. quamobrem id faciat,nempe,quia suæ uanitatis sibi conscius est.

Hoc in præsentiarum contra uniuersam illam mendaciorum farraginem quam ad Imp. Maiestatem,aduersus me edidit,coram Deo inspectore cordium,& coram uestris Celsit. affirmo, attestante Deo ipso, & conscientia,non mea tantũ,sed ipsius etiam,me affirmare id quod res est: Primum, Gropperum in ea parte libri sui,qua articulos recenset,quos scribit me apud se,et D. Gerardum Secretarium Vuormaciæ confessum esse & Ratisponę, quàm plurima consarcinasse,de quibus in mentem mihi nunquàm uenit, inter quæ pleraq; etiam eiusmodi sunt, ut mori non semel malim, quàm ea profiteri: Deinde illa,quæ tanquàm antilogias meas ex ijs, quæ postea docuerim,& scripserim,sublegit esse referta clarissimis mendacijs,& calumniosissimis sophismatis. Quæ singula si Dominus tempus & facultatem ad id concesserit, proprio libro indicabo. Postremo æquè uana esse & calumniosa, quę commemorat de nostra contracta et culta amicitia,

Summa responsionis ad calumnias Gropperi.

citia, communicatisque inter nos consilijs & actionib.

Cõsuetudo cum Groppero quo modo inita.

Haganoæ ut ad eum uenirem, author & impulsor ac perductor fuit uir doctissimus & optimus Petrus Medmannus, qui nostro colloquio sperabat æquiorem illum fore causæ Christi.

Vuormaciæ uero nunquàm ab illo, uel etiam à Gerhardo Secretario, quicquàm de Colloquio secretiore inter nos instituendo uel monui, uel petij, imo ipsi duo, me nihil tale cogitante, Clarissimum et uerè sanctum uirum Capitonem & me ad hoc Colloquium priores inuitarunt, affirmantes uidere se, quòd eo colloquio, quod tum ibi institutum, & per totas decem hebdomadas uix incho atum fuit, nihil proficeretur. Et ad hoc ipsum colloquium, quo nos inuitabãt, non descendimus, nisi antea consultis duobus primarijs uiris nostræ professionis: in eaq; collocutione continuimus nos intra eos christianæ doctrinæ limites, intra quos & ante & postea constitimus. Et hæc quidem adeo sunt uera, ut nolim propitium habere Christum, si quid falso recitaui.

Colloquium Vuormaciense.

In eo colloquio Gropperus illa ferè omnia proposuit, quę nunc tanquàm confessa à nobis commemorat: sed nouit, qui omnia nouit Deus, nouerunt & ipsi ambo, Gropperus & Gerardus, quàm diligenter & fideliter ipsum admonuerimus, quid syncerum agnosceremus, quid secus, quid admitti à nostris posset: quid minus.

Videbatur Gropperus tum agnoscere, iustificationem nostri & salutem, nullo nostro, sed merito unius seruatoris nostri Iesu Christi totam nobis constare, soláque fide Euangelij, fide Christi, eam à nobis percipi, déque eo solo uidebatur solicitari, ne nostris loquendi modis, homines occasionem acciperent alicuius securitatis, & mor tua fide

tua fide confisi, se iustificatos coram Deo putarent, etiam si nullo incensi essent studio bonorum operum. Eramus igitur in hoc toti, ut formas loquendi nostrorum sic eis interpretaremur, ut planè intelligerent, nos loqui de fide, quæ sit opus Spiritus S. efficax ad nostri regenerationem, quæque per dilectionem omne ppus bonum operetur: & eiusmodi nos prædicare nostri iustificationem, hoc est, peccatorum in nomine Domini nostri Iesu Christi remissionem, nostrique in filios Dei adoptionem, cum qua semper coniuncta sit nostri, inouatio, & ad imaginem Dei restitutio, iustitia Dei in nobis inchoata.

Præ se ferebat quoq; magnum studium ueterum obseruationum, & disciplinæ Ecclesiasticæ. Monebamus itaque nos, ut recte discerneret inter obseruationes catholicas & perpetuas, ac diuinæ Scripturæ consentaneas: quæ scilicet pietati instaurandæ reipsa deseruiant, & inter eas, quæ nec semper, nec ubique in Ecclesijs obtinuissent, nec etiam cum Scripturis S. satis congruerent, adeóq; nec ad confirmandam, nec ad excitandam fidem in Christum aliquid conferrent, imo fidei plerumque etiam officerent: Vtque eam Ecclesiæ disciplinam requireret, quæ tandem populo restitueret idoneos doctores, & unumquenque ad officium excitaret, & in eo contineret. Sentiebamus enim illum admodum capi splendida cæremoniarum pompa, & multiplici ac magnifico signorum usu, tum & singulari prælatorum dignitate & authoritate. Querebatur tamen simul grauiter doctrinam Christi uulgo passim negligi, & Ecclesias à pastoribus suis pernitiosè deseri: ac eiusmodi reformationis studium præ se ferebat, qua & parochijs idonei restituerentur curatores, cunctaq;, & doctrinæ, & reliqua-

rum cæremoniarum administratio ad certam fidei ædificationem instituereturr.

Itaque quanta potuimus comitate & lenitate cum illo cautàm istam tractauimus, ut quem putabamus ad ueritatis cognitionem accessisse proprius. Atq; cum quę dam nostra reprehenderet, non dissimulauimus quæ & apud nos opus habent emendatione. Quod autem scribit me tunc fuisse confessum, nobis non minus opus esse correctione, atque ipsis, hoc est, aduersarię parti, hoc ille contra suam ipse conscientiam scribit, ut alia pleraq;. Gratias enim Domino agere debemus, qui puram nobis Euangelij sui doctrinam, & legitimam Sacramentorum administrationem restituit, & si in ipsa uita, moribusque, & in Ecclesiastica disciplina multum adhuc desideramus. Verum quò minus & hæc emendentur, ipsi magna ex parte impediunt, quandoquidem ea, quæ Dominus in doctrina, & usu Sacramentorum nobis contulit, tam crudeliter oppugnant.

Folio 49.

Quo usq; Gropperus Confessione Veritatis progressus.

Eousq; autem progressus fuit Gropperus in hoc colloquio, confessione ueritatis, ut spem faceret, modo alij similem adhiberent uoluntatem, Ecclesias Germanię posse rursus conciliari. Consentiret enim, ut dixi, parochijs idoneos esse præficiendos ministros, & ut ijs, quò inculpatè uiuerent, & bona conscientia ministrarent, matrimonium concederetur, non repugnabat: Agnoscebat quæ in templis legi, decantari, & doceri debeant, oportere desumi ex diuinis literis, atque ita esse ea omnia, sicut & ritus & signa in Ecclesijs, moderanda, sicque administranda, ut populus ea cum fructu intelligat, & ad omnia pietatis officia excitetur: eáq; omnia esse reijcienda, quæ cum diuinis scripturis non consentiant, & fidem non promoueant.

Quan-

Quanquàm autem Gropperus in eo colloquio huc-
uſque confeſſionis Euangelicę deuenerat, ut dixi, tamen
quia uerbis quædam in dogmatis inuoluebat, & de ple-
riſque ritibus, qui præter Scripturæ, & ueteris Eccleſiæ
authoritatem inuecti ſunt, retinendis, plus æquo labora
bat: Capito & ego nihil aliud ei polliciti ſumus, quàm
ſpem eſſe, quod ſi proceres Eccleſiaſtici per Germaniam
admitterent eadem, quæ tunc ipſe nobis cõcedebat, eam
poſſe dogmatum explicationem, & rituum repurgatio
nem pio aliquo & religioſo colloquio conſtitui, ut Eccle
ſiæ Germaniæ inter ſe in Domino rurſus coirent: No-
ſtros enim non de opibus, non de ditionibus, nec etiam
de externis cęremonijs laboraturos. Quòd ſi obtineri ſo
lum poſſet, ut Sacrę ſcripturæ ſua ſit ſalua authoritas: ut
Eccleſijs idonei præficiantur paſtores, qui fidei iuſtifica-
tionem, & Chriſti meritum in ſuis concionibus bona fi-
de celebrent, qui Sacramenta diſpenſent, ut ſunt à Chri-
ſto inſtituta, qui populum ad ueram pietatem & opera
bona per fidem præſtanda, commoneſaciant: Item, ſi &
illud impetrari poſſet, ut ad conſeruationem doctrinæ
Eccleſiaſticæ, & ad propagationem Religionis, Scholæ
quoque reſtituantur: fore, ut per noſtros ordines non
ſtet, quò minus ineatur concordia.

Sola ſpes, & qua lis promiſſa.

Summã Refor mationis quam proteſtantes pe tun.

Hæc ſunt de quibus tum inter nos actum fuit, & præ-
terea nihil, nec quicquàm ultra hęc aut ipſi, aut Gerardo,
aut cuiquàm mortalium polliciti ſumus: Id nouit Deus,
nouerũt ipſi. Præter hos colloquio huic interfuit nemo:
Quocirca & in eo Gropperus mendacij ſe ipſe manife-
ſtum fecit, quod tractatorum in hoc Colloquio teſtes no
minat, generoſum Comitem Theodoricum à Mander-
ſcheydt, & Cancellarium Colonienſem, quorum neuter

in eo

in eo colloquio unquã adfuit: nec à me de his quicquàm audiuit. Tamen hos certam iſtarum rerum habere cognitionem Gropperus eſt auſus ſcríbere, fol. libri ſui 39.

Porro cum tam æquum tum Gropperus animum ad piam Eccleſiarum reformationem præ ſe ferret, ualde ipſius conſuetudine & ſermone delectabar, neque potui adduci ut crederem fore, ut nos falleret, quod tamen multi boni & prudentes uiri mihi tum de eo diuinabant. Mouebantur quidem illi argumento minime leui, quod eſſet opum & honorum ualde cupidus, quod tam multa ſacerdotia occuparet: hunc enim gibbum obſtare ei non temere putabant, ne per anguſtum acus Euangelicę foramen ingredi ad regnum cœlorum poſſet. At cum ad nos delatum eſſet iactaſſe illum, hoc ſacrilegum Sacerdotiorũ onus à ſe uelle reijcere, uiſum eſt ſequi uerbum Domini, ut eum ex ſuis ipſius uerbis iuſtificandum & condemnandum exiſtimaremus. Et Dominus eum fortaſſe tunc in exemplum multis, ſed ſanè horrendum, ſic animauerat, ſuóque ſpíritu excitauerat, ut ſi uidiſſet poſſe per Imp. Maieſtatem, & ueſtras Celſit. emendationem aliquam Eccleſiarum conſentienter conſtitui, ac talem, quę nihil eius dignitati, nihil opibus detraxiſſet, imò acceſſionem aliquam attuliſſet etiam, ſi non rerum, nominis tamen & gratię apud potentes, & munificos, tum in eo conatu Reformationis, in quem uidebatur diuinitus impulſus eſſe, perſtitiſſet: Maximè ſi ipſius quoque conſilium aliquid in ea emendandi ratione ualuiſſet: nec enim facile probat, quæ ab ipſo profecta non ſunt.

Horrendũ iræ diuinæ in Groppero.

Poſteaquàm uero, & maxime cum iam Archiepiſcopus eius Reformationem Eccleſiarum ſuarum uere moliri cœpiſſet, reipſa comperit, regnum Chriſti, ſecundo

cundo & fauente hoc mundo, reſtitui non poſſe: uidit pro regno cœleſti oportere perdere, hoc eſt, in extremũ diſcrimen adducere omnia, rem, honorem, ac uitam ipſam: deprehendit denique nullam eſſe conditionem mediam inter eos qui militant Chriſto, & qui Antichriſto: redijt miſer ad ingenium, ductúsque à Satana in ſublimem illum montem mundani faſtus, mendacio ſe totum, & præſtigijs illius dedit, Cúmque ſplendorem iſtum externum, & opes in Antichriſti miniſterio maxime florere conſpiceret, in illam ipſam partem, ubi hæc omnia ſe poſſe conſequi putabat, planè conceſſit: ac relicto Chriſto, Antichriſti regno totum ſe conſecrauit. Ita quidem, ut ſupplex illum adorans, primũ quęcunq; pro regno Chriſti dixit aliquando et ſcripſit, profligata omni conſcientia, & deterſo pudore, non modo reuocet, uerumetiam atrociſſimè impugnet, non abſq; blaſphemia. Deinde amicitiam nouam, & ſocietatem arctiſſimam cum illis contraxerit, magnáque ſeruilitate eos nunc colat, quos antea partim ut uentris & inguinis mancipia, partim ut miſeros et indoctos ſuperſtitionum miniſtros nulla ſua conſuetudine dignabatur. Tum execrandos abuſus, & neſarias ſacrorum deprauationes, quas paulo ante deteſtabatur, portentoſa quadam amentia pingere ac defendere conetur. Denique Pontificis Romæ Tyrannidi conſtabiliendæ totum ſe impẽdat, quam qui dem Tyrannidem antehac non ſemel iudicauit, & conſuluit etiam eſſe retundendam, & inexplebilem illam ac ignominioſam auaritiam nequiſſimorũ hominum, qui mille fraudibus & technis Germaniam hactenus ſpoliarunt, et exhauſerunt, non eſſe diutius tolerandam ſuaſit. Vnde Archiepiſcopum ſuum & in eo aliquando confirmauit,

Cauſa quę Groperum ad Pont. Ro. totum redu xerit.

In quãtam Antichriſti ſeruitutẽ ſe Gropperus abiecerit.

Spolia quæ Ro. Pont. ex eccleſijs Germ. auffert.

firmauit, ut Sacerdotia conferret, etiam in eo menſe, quem Pontifex ſibi uindicauerat: nam id eo ipſi proderat, ut ſe & ſuos Sacerdotijs citius opprimeret.

Videt enim iſta Antichriſti natio & progenies uiperarum, urgeri ſe uirtute Chriſti, multosque & acres homines emergere, qui regnum Chriſti reſtitutum uelint. Itaque pro ſua peculiari & carnali prudentia, quæ in ipſis multò maior eſt, quàm in filijs Dei, totis uiribus ſeſe conſociant & caſtra coniungunt, idq; ſub hoc Roman. Pontifice, qui ad impediendum & euertendum omnem piam & neceſſariam emendationeu Eccleſiarum, & animo paratiſs. eſt, & copijs inſtructiſſimus, tàm ſuis, quàm regum & principum: quos partim ſuperſtitione, partim alijs artibus deuinctos habet. Ad huius igitur Ducis ſigna Gropperus tandem ſe quoque contulit, honeſti & recti nulla prorſus habita ratione. Et cum eò deuenerit impietatis, mirum uideri non debet, quòd aduerſus optimum & laudatiſſimum principem Archiepiſcopum ſuum, de tota prouincia Colonienſi ampliſſime meritum, impendit ſe totum: q; coniurationes in illum excitat, auget, confirmat, & urget: immemor tantorum beneficiorum, quibus eſt ab illo cumulatus: & oblitus iurisiurandi, quo multipliciter eſt illi obſtrictus, ut qui & natus ſit in eius ditione, & Sacerdotij gradum eius authoritate aceperit, & primi Collegij Canonicus ab eo factus, & plurima deinde Sacerdotia ſit ab ipſo conſecutus.

Multo uerò minus debet uideri mirum, quod in me tam immaniter furit, & debacchatur, quem tamen à Colloquio Ratiſponenſi, donec Bonnam oppidum ſecundo ueniſſem, & iam non ſcriptis tantum, & amicis collocutionibus de Reformatione cum eo diſputarem, ſed Archi-

Archiepiſcopo piam & neceſſariam emendationem Eccleſiarum molienti, meam operam nauarem, ſubinde & ſalutauit ſcriptis, & uerbis nominauit amiciſſimum, & dulciſſimum Bucerum, doctiſſimum Theologum, colendum etiam præceptorẽ. Quo quidem honore, quem nec meritus ſui, nec unquàm mihi ſumpſi, dignatus me fuit, etiam tunc, cum iam meum miniſterium Bonnæ inſtituiſſem. Atqui ſperabat tum temporis me poſſe ex ea prouincia ſubmoueri: nam in hoc tota mẽte et animo in cũbebat, ſed adhuc diſſimulans inimicitiã aduerſus me.

Qualis Bucerus Groppero cum de Reformatione tantũ diſputaret, nihil in Dioeceſi Colon. moueret.

Sed quantumcunque ipſe adeo deplorandum in modum ſit mutatus, & quantumuis acer factus ſit Antichriſti propugnator, qui militiam Chriſti fuit antea profeſſus, me tamen illius meæ de ipſo credulitatis, meæque erga ipſum humanitatis & obſeruantiæ pœnitere non poteſt, dum cogito quantum boni ad Eccleſias Dei redundarit ex eius confeſſione, qua per totum biennium tam ampla ſane et luculenta dedit teſtimonia, pro regno Chriſti contra Antichriſtum. Nam quoniam hæc illius teſtimonia plurimis cognita ſunt atq; perſpecta, et in recenti multorum adhuc memoria hærent, certe blaſphemiæ illæ & calumniæ, quas nunc in piam doctrinam, & in ipſum adeo Chriſtum impuro corde & ore, tam impotenter & rabioſe effundit, minimum nocere poſſunt. Nemo enim non uidet qui ſpiritus ipſum uexet, quæ furiæ exagitent, quid in Archiepiſcopi ſui Reformatione oderit, quid oppugnet. Nemini amplius ſucum faciet, quantumuis pro ſua incredibili impudentia gloriari auſit de ſtudio emendationis, quam expetere ſe dicit, modo legitimè illam Archiepiſcopus inſtituat, & per eos, quibus tale munus oportet committi, hoc eſt, modo rei cognitio

nem totam, & decernendi potestatem illis credat, qui ex Ecclesiarum deformatione & uastatione suas facultates omnes & honores fouent & amplificant.

Vulgare sed euidentiss. argumẽ. cũ Gropperũ seruire Antichrõ.

Quantus enim sit hostis ueræ & necessariæ Reformationis, ut nullo alio indicio constet, quæ sane plurima sunt, & cuiuis in animum & oculos incurrunt, hoc uno certe manifestum cuique & expositum esse potest, quod præter tot opimos Canonicatus, tot opulentas & honoratas prælaturas, occupat etiam & spoliat tot insignes parochias, sacrilegio omnium imanissimo. Quod ipsum quàm sit detestabile, & summopere damnetur, tum in sacrisliteris, tum per ipsos quoq; Canones, ignorare non potest, ut qui in suo illo grandi Reformationis libro, cuius tam multos & præclaros laudatores coaceruauit, Canones illos in usum reuocandos & recolendos censuit: aduersus quos canones nouit nihil ualere suũ illud inuẽtum, dum ait, Sacrilegium hoc ijs condonãdum esse, qui sunt in Episcoporum occupati negocijs.

Cum itaque tam aperte seruiat Mammonæ, & pompæ huius mundi, tanta, & tam execrabili, & à se ipso tam topere damnata implicatus Sacrilegiorũ πλοκῇσι, (quæ etiamsi uulgaris sit & non adeo sacrilega, tamen idolatria est) certè nemo, qui modo uerbis Christi fidem habet, dubitare potest, eum Seruire Domino non posse, imo nec in regno Dei partem ullam habere, sed seruire ei, cui se addixit, hosti maximo Christi, et Ecclesiæ summo tyranno: Certo etiam statui potest, quicquid de authoritate & disciplina Veterum iactat, unàcum suis conIuratis, id nihil esse aliud, præter inanes & impudentissimas prestigias: quemadmodum & merę sunt calumniæ atq; mendacia, quæ contra Reuerendiss. Archiepiscopum su-

Gropperus et cõiurati eius omnẽ ueterem Ecclesiæ disciplinã, euerterunt.

Digitized by Google

pum ſuum,& nos uociſeratur,de conuulſa per nos Veterum authoritate & diſciplina.

Nam quacunq; tandē parte,ipſum,eiuſq; ſimiles intuearis, tàm in templo,q; domi,tàm in Eccleſiaſticis, quàm politicis conſilijs, quid aliud deprehendas,quā eos multipliciter peccare horribili omnium legum Dei & Eccleſiæ,omnium Apoſtolicarum traditionum, & S. patrum,Canonumque tranſgreſſione? Hæc enim omnia penitus abiecerunt, diſsiparunt, conculcarunt, in ſua & doctrina,& Sacramentorum, aliarumque Ceremoniarum adminiſtratione,& in uita uniuerſa. Nec ullam ſane ueteris Eccleſiæ traditionem,nullam S. patrum regulam adferent,ſiue de inſtitutione & diſciplina miniſtrorum,ſiue de diſpenſatione doctrinę et Sacramentorum, ſiue denicp de ratione uiuēdi domeſtica, quam non aperte uiolarint,reiecerint,& peſſundarint.

Quid uero dicam de traditionibus Apoſtolicis,& ueteribus Eccleſiæ canonibus? Conferantur eorum & ſacræ & prophanæ actiones, cum ipſa Gropperi Reformatione, & ea quam in ſuo libro tantopere Gropperus celebrat,deſcriptam ab aliquot Cardinalibus & Epiſcopis mandato Pauli tertij, & ſtupebunt certe iſtorum hominum impudentiam,quicunque aliquid humanę mentis habent reliquum, quod de ulla omnino Reformatione mutire audent,tantum abeſt,ut de ueteri Eccleſiæ diſciplina reſtituenda loqui debeant.

Gropperus & coniurati eius ſuis ipſorū Reformationibus conuincuntur.

Etenim in utraque illa & Gropperi & Cardinalium illorum Reformationis formula, quamquàm utraq; longiſſimè adhuc abſit à formula Reformationis, quam nobis reliquit Chriſtus,reuocantur Canones illi, qui præcipiunt ſingulis parochijs ſuos paſtores,& eos inculpatos,

& ad S. ministerium idoneos & probatos præfici, idque omnino gratis: & hos omnia ministeria sua gratis, & ad certam pietatis instaurationem populis quàm religiosissimè exhibere: Damnant quoq; grauissimè, & puniunt, reiectione, non à Prælaturis modo & Sacerdotijs, sed ab omni etiam Ecclesiæ consortio, omnes eos, qui præbendas Ecclesiarum inuadunt, quarum ministeria non bona fide præstant: item omnes, qui plures præbendas tenent, qui suis parochijs non adsunt, & fideliter ac gratis, & ad ædificationem pietatis ministrant, in uita sancta et irreprehensibili.

Quid iam dicas impudentiam, quid amentiam, quid furorem? si hoc non est, Gropperum & similes eius coniuratos, contra Christum & omnes fideles Christi ministros & confessores, audere apud Imperat. Maiestatem, apud Celsit. V. & alias uerbulum de suo in Reformationem studio facere, & uel suas reformādi formulas memorare. cum in eiusmodi manifestis Sacrilegijs perseuerent, ut si ipsorum canones ualere debeant, nullus ipsis, non solum inter ministros Ecclesiæ, sed nec in laica quidem Ecclesiæ communione locus sit futurus reliquus.

Reformatio Pauli tertij iussu cō scripta a Contareno et eius in eo collegis.

Memorat Gropperus, Paulum tertium Contareno, et Collegis eius, maioribus certe et meliorib. uiris, quàm quos Roma ferre potuerit, mandasse, ut conscriberent Reformationis formulam. Verum hoc quidem est, ad id enim utile hoc uidebatur, ut hi patres, inani aliqua spe Reformationis concepta, obturbare monendo de reformanda Ecclesia desinerent. Sed quid Antichristus hic aliud in his Cardinalibus & Prælatis ferre potuit, præter unum illud, ut formulam Reformationis conscriberent? Dum enim eam formulam uenire tantum in aliorum manus,

Digitized by Google

manus,uel per imprudentiam passi sunt:ita quosdam ex illis exagitauit, ut Pasquillus non ab re illud crudelissimo tyranno dictum accommodauerit,de his ipsis Cardinalibus et Prelatis: Pœnitet me fecisse homines. De Con tarenī certe morte Socratica,cum Legatio ei ad Imperatorem esset imposita,quid percrebuerit,& quibus authoribus,occultum non est. Nec proderat certe hunc uirum esse denuo Legatum ad Imperatorem,cui alioquin paulo credebatur esse addictior,&apud quē suo merito non parum ualebat:poterat enim non externæ pacis tantum, uerū etiam Reformationis Eccles.negociū rursus agere.

Quā gratiā Pontretulerit Cardinalibus pro descripta forma Reformationis.

Sed Gropperus si serio de Reformatione cogitat,primum eam à se incipiat, & quæ tam pulchrè sibi pridem conscripsisse uidetur, in se & suis tandem opere præstet, exoneret se tam pernitioso & ipsi summè pudendo one re tot Canonicatuum, Prælaturarum, & Parochiarum. Si uocetur ad unam legitimè,&instituatur canonicè probatus, (uel ultro ipse deligat sibi unā,cui &uelit & possit ministeriū Christi præstare fideliter,) tum apud hanc resideat,eique, abiectis consultationibus & negocijs sæcularibus,cum illorum quęstu,ministrum &curatorem uerbo, cæremonijs, disciplina, uita præstet fidum, & probum.

Gropperus suā ipsius in se Reformationē præstet.

Tum eat Tridentum,ibique suo sanctissimo patri, cæterisque Prælatis persuadeat,ut uel illam ipsam Pauli ipsius iussu conscriptam Reformationē, ipsi in se primum executioni mandent. Vt Episcopus quilibet suæ Ecclesiæ adsit, eique fideliter & gratis ministret, nemo occupet & dispoliet multas. Vt Pontifex & cæteri Episcopi non nisi dignis, & ad ædificandam Ecclesiam Dei idoneis & probatis Sacerdotia conferant. Vtque hi omnia sacri

Quid Gropperus Tridenti agēdum.

Digitized by Google

sacrí muneris officia gratis, soláque ædificandæ Ecclesię ratione ducta, obeant in uita sancta & inculpata. Remittat tandem Pontifex Ecclesijs illa horrenda Sacrilegia, quæ eis eripit per Confirmationes, per Pallia, per dispensationes, & id genus deprædationes alias. Vel hæc tàm necessaria omniũ confessione, nobis Gropperus à Pontifice, Cardinalibus, alijsque Prælatis impetret, liberet Germaniam patriam suam, aliásque Christiani nominis nationes, imanissimis & scandalis & despoliationibus, quas à Romana curia patitur. Atque ni Pontifex, eiusq; curia his adèo necessarijs Ecclesiæ Dei legibus parere uelint, & tam confessa emendare scelera, fretus authoritate Christi, & Ecclesiæ eius, eos, ita ut Canones præcipiunt, tanquàm Simoniacos hæreticos, ut Antichristos fugiendos, & omnino Ecclesia Dei deturbandos, censeat. Hoc enim necessarium officium eius est, qui in Synodo christiani Sacerdotis & doctoris partes obire uelit.

Officium Gropperi, si pstare uelit, de quo se iactat.

Sed non uult bonus ciuis principibus populi sui maledicere, non uult pius Antichristi filius, patris sui pudẽda, cum impio Cham detegere, (quod nec potest quidem, cum oculis totius orbis ita horrendè, proh dolor, expositа sint) non dum enim eò progressus philosophię est, ut cum Contareno, quamlibet laudato ipsi uiro, mori Socraticè cupiat: Imo non uult imponere alijs leges, quas ipse ferre non statuit, non uult authoritatẽ conuellere, quę una suæ, & aliorum deformationi presidio est, non uult arcem oppugnare, in quam omnium disciplinæ Christi uiolatorum, atque canonum cõculcatorum ultimum perfugium est.

Sed quid detineo Celsit. V? Quis nõ uideat istos Deo & hominibus planè illudere, cum uerba de Reformatione faci-

ne faciunt,cum Veterum diſciplinam, cum traditiones Apoſtolicas crepant? Nam & doctrina ipſorum & uita,& ceremonię pugnant ex diametro cũ illis omnibus.

Sunt omnino quinque res,de quibus tanquam ueteris Eccleſiæ diſciplinæ ſeſe ſtudioſos inprimis efferunt, & nos tanquàm eius diſciplinæ uiolatores grauiſſimè accuſant: Signa quædam & ritus externi,quibus uſi fuerunt ueteres,dignitas & authoritas Cleri prę reliquo populo,cęlibatus Sacerdotum,cultus diuorum,et exequię mortuorum.Sed nullum illi proferent ſignum, nullum Eccleſiæ ritum ueterem,catholicum quidem,hoc eſt,obſeruatum a Sanctis in Eccleſia ſemper,& ubiq;,atque habitum ad ſalutem neceſſarium,quem uel nos pretermittimus, uel ipſi non in turpem & noxium aliquem abuſum peruerterint. Nihil de dignitate & poteſtate Cleri uel ſancitum, uel obſeruatum proferent, quod non nos uerè reſtituí laboremus,ipſi euerterint. Coniugium ſanctum inSacri miniſterij ordinẽ authore Deo recipimus, cum ipſi & contra mandatum Dei, & contra omnes Canones conſpurcauerint omnia ſtupris, adulterijs, alijſq; exemplis nefariæ & horrendę libidinis. Diuos etiã nos pia memoria,& fideli imitatione,ut ueteres tradiderunt, uerè ueneramur: ipſi contra omnẽ Veterũ religionem illos cultu ethnico,et quęſtu ſacrilego,grauiſſima afficiunt ignominia. In exequijs deniq; mortuorũ, nos ſecuti S.patres,peccatorum pœnitentiam excitare & fidem,ac meditationem reſurrectionis confirmare & incendere ſtudemus in ijs,qui adhuc uiuunt: ipſi uero terrore confícti ſuí purgatorij, eò rem iſtam & auxerunt & depraua-

In quibus Adueſarij ueterum authoritatem falſo iactant.

runt,ut liberent homines & pœnitentia peccatorum, & fide Chriſti,iudicijq; d. reddant ſecuros, dũ eis perſua-

r dent,

dent, ſcilicet poſſe eorum peccata exequijs, Miſſis, & alijs cæremonijs ipſorum expiari.

Manifeſti itaque ſunt iſti Chriſtianę doctrinæ hoſtes, tam in his ipſis locis, de quibus contra nos ſe tantopere iactant, quàm in cæteris omnibus, diſciplinam Veterum plane euertiſſe & aboleuiſſe, in doctrina, in ritibus, et uita. Quod clariſs. cognoſcet ab omnib. qui antiquam Eccleſ. diſciplinam non ignorant, qui perſpectũ habent quid Canonibus, alijsq; S. Patrum libris, ac piorum principũ legibus: de ea nobis relictũ eſt. Id ipſi quoq; hoſtes Chriſti norunt, ideoq; omnem legitimam iudicationem tantopere defugiunt, & perſuadere V. Celſitudinibus contra aperta præcepta Dei, contra manifeſtas Apoſtolorum traditiones, contra doctrinam & exempla uniuerſa patrum & piorum Regum atque Imperatorum conantur, non licere uobis, partim ut Laicis, partim ut Prælatis, Rom. tyranno, ne id faciatis, iureiurando adactis, cognoſcere & iudicare de his rebus religionis. Ad unũ ſuum Pontificem, ad ſcriniũ pectoris eius, unde ſcilicet patrociniũ corruptelarũ & flagitiorũ expectant, non metuunt correctionem, omne de religionibus iudicium reijciunt: aut ſi paulo æquiores eſſe uideri uolunt, ad Synodum, ſed quam idem Pontifex, & indicat, & ſuæ obſtrictam libidini, gubernet.

Qualem cum nunc Tridenti ceptam celebrari obijcere nobis poſſunt, id ſerio triumphant, & habere ſe exiſtimant ſuum illud iudicium, quo Religionis controuerſię omnes iudicandæ remitti debeant: iam obturata eorum ora uolunt, qui negarunt Pont. Rom. et coniuratos eius Synodum ullam admiſſuros. Quaſi uero boni ac pij homines non uideant, quid hoc Concilij prætextu agant, quid

quid moliantur: Nihil enim minus quærunt, quàm ut uitijs ac morbis Ordinis Ecclesiastici, ac reliquæ Ecclesiæ Dei opportuna quærantur & adhibeantur remedia. Nam postquam à Monarchis hoc extorserunt, ut ipsis permitterent Synodum suo more indicere, & obstrictam sibi per omnia tenere, securos se reddiderunt de nobis, ne illò ueniremus, aut de Reformatione aliquid ibi moueremus. Nephas enim esset, causam Christi eorum committere iudicio, qui sunt palàm aduersarij Christi. Iam sanè rissimi sunt proceres Ecclesiastici, qui Christianam restitui disciplinam ipsi ferre possint. Ex uulgo uerò nominatis Theologis, & Canonum professoribus perpaucos reperias, qui ipsis non sint, alij alijs de causis obstricti. Facile itaque diuinant fore, ut Monarchæ & cæteræ nationes cum ipsis in nostrum excidium conspirent, & nos totis uiribus petant, ut qui Concilium Christianũ, quod ipsi omnes habent sacrosanctum, repudiemus. Nobis itaque extinctis, confidunt se nullo negocio, posse comprimere stylum ac ora omnium, qui de Ecclesiarum reformatione audebant aliquid mutire. Sin uero Monarchæ & reliquæ nationes suam illis operam nauare contra hæreticos nolint, iustam habere causam uideri uolent, ut omni Concilij ostentatione sublato, ad sua studia tuto redeant, ut per quos non steterit, quo minus Synodus celebrata sit, sed steterit per Monarchas & cæteras nationes, quæ insurgere contra hæreticos, ut oportebat, neglexerint. Nam ne simulare quidem hoc uelint, se cum medicos aliorum profiteantur, sibi prioribus mederi cupere, & suos ex oculis trabes eximere, priusquàm de aliorum eruendis festucis laborent.

Quo Consilio Pontificij suam instituerint Synodum.

Cum his iam Gropperus, cum cætera sua studia om-

nia coniunxit, tum & in hac impudentia iactandi Concilium Tridentinum, adiutorem se præbet: Scribit enim in suo contra me calumnioso libro, fol. 53. Tridentinum Concilium esse indictum uia ordinaria, & ut decet: etiam iuxta Decreta Comitiorum Imperialium: atque uti nostri quoque Ordines ipsi, & ego, Concilium generale iudicauerimus, unicam, iustam & rectam uiam esse, præsens dissidium in religione tollendi.

Mendaciũ Gropperi de Concilio Tridentino.

In quo Gropperi testimonio tot ferè mendacia insunt, quot uerba.

Nouit enim probè, et in diuinis literis, et in S. Patrum monumentis, denique ipsis quoque præstantissimorum Conciliorum exemplis, hanc uiam & rationem esse describtam, præceptam & monstratam, uelut ordinariam, & unicè salutarem, Concilij indicendi & conuocandi, ut Ecclesijs restituendo doctrinam & disciplinam Christi consuli possit & debeat: maxime in eiusmodi difficultate & perturbatione constitutis, in qua nunc detinentur Ecclesiæ Germanicæ, Primum, ut Concilium indicatur ab illis principibus, qui cum potestatem summam & ordinariam tenent in omnes eos, qui Concilio uel interesse, uel parere debent, tum etiam Ecclesijs ex animo cupiant reipsa consultum. Si enim Synodum indicant ij qui bus deest summa illa potestas: facile accidit, ut talis indictio reddatur ad emendationem Ecclesię inefficax. Si uero ij quibus desit Ecclesias instaurandi uoluntas, indicant: nullo negocio peruertitur Synodus ad Ecclesiæ perniciem. Qua de causa S. Patres ad Concilia indicta à Constantio & Valente, pro Arrianis, in fraudem ueritatis Euangelicæ uenire detrectarunt.

A quibus Concilii indicendum.

Iam, beneficio Dei, potestas illa summa in Germania

penes

penes Imperat.eſt,& V.Celſitudines,non penes Tyrannum Romanum,nec Monarchas alios: Et conſtat nullos eſſe in orbe homines, qui ad Eccleſiarum oppreſſionem & euerſionem omnia obſtinatiore animo excogitent & conferant,atque faciant Pont.Ro.& eius mancipia,uti ſupra demonſtrauimus.

Deinde poſcit & hoc legitima Concilij indictio ut in eum maxime indicatur locum, in quo non ſolum ſumma ſit libertas,& conueniẽdi,& pro regno Chriſti conſtanter dicendi, & agendi quæ oporteat,uerum ex quo etiam Eccleſijs,ſi non omnibus, tamen pluribus conſuli queat, cum citius tum commodius. Iam certum eſt hac conditione Germaniam cuiuis alij Nationi eſſe præponendam,poſtquam Dominus in hac tum cognitionem uerbi ſui excitarit multo ampliſorem, tum ueræ Reformationis deſyderium accenderit longe ardentius,quàm in ulla alia natione. Quum enim tam raræ habeantur in alijs Nationibus conciones, præſertim quibus D. ſcripturæ illis explicarẽtur,tum etiam pauciſsimi has ipſi legant,plerique ne legere quidem ſub pœna capitis audeant,neceſſe eſt conſequi,ut pauciſsimi etiã in illis Nationibus ſint, qui de uera Eccleſiarũ Reformatione, uel iudicare aliquid poſſint, uel eam etiam magnopere requirant.

Quale Concilium Decretum in Comitio Norimbergen.

Hoc ordines Imperij perpendentes in Comitio Norimbergenſi,quod Anno M. D. XXIII. celebrari cœpit, decreuerunt Concilium in ipſa Germania indicendum & celebrandum eſſe. Vrbes quatuor tum nominatæ ſunt. Cautum eſt etiam illud,ut in eo Concilio omnes, tam Eccleſiaſtici quam ſeculares, (& hos enim Concilio intereſſe, & agere in eo cauſam Chriſti,recte

censuerunt) cunctis obligationibus, quæ impedimento esse ualeant libertati ac studio monẽdi & adferendi quę ad communem Ecclesiarum Reformationem faciant, soluerentur: tum ut ad hoc ipsum piorum consultorum officium prestandũ quam sanctissime obstringerentur. Vere liberum enim & Christianum Concilium querebatur, idque quàm primum etiam, hoc est, intra annum ad longissimum celebrandum. Quod ni fieret, & nisi eti am iniqua illa onera, quibus Natio nostra à Pont. Rom. & alijs Ecclesiasticis adhuc premit, quorum commentarius Oratori Pont. tum simul oblatus fuit, statim remouerentur, adiecerunt, Vicarius Imperatoris, nunc Regia Maiestas, & Ordines Imperij, in suo ad Oratorem Pont. responso, se illa non toleranda, & pernitiosa onera ferre diutius non posse, sed adactos necessitate alias commodas uias, et rationes per se quæsituros esse, per quas hanc nostram nationem oneribus illis & pressuris, quibus ab Ecclesiasticis premeretur, ipsi exonerarent.

Ordines Imperij testati sunt se impia onera Ro. sedis à se reiecturos anno 24.

Præterea sancitum in Comitijs alteris sequenti statim anno item Norimbergæ celebratis, ut eodem Anno Comitia Spiræ haberentur, in quibus id deliberari & statui debebat, ut excussis libris Lutheri & aliorum, quibus nouæ doctrinæ titulus obijciebatur, quicquid boni in his libris esset proditum, reciperetur, & quod malum eis inesset, reijceretur, ne quæ bona essent, cum malis opprimerentur, & ut quisq; etiam Christianus certior fieret, quæ sequi deberet, dum Concilium generale celebraretur.

Conuentus indictus Spiram anno 24.

Hæc communia Vicarij Imperatoris, nunc Reg. Maiestatis & Ordinum Imperij decreta, rata nostris semper fuerunt. Eoque quõties Rom. Tyrannus instetit apud Imperat. Maiestatem & ordines Imperij, ut iuxta eius præiudi-

præiudicium & Edictum Vuormacienſe perderemur & excinderemur, has Imperij conſtitutiones iure obiecimus: quibus ſanè interceptū illud Edictum fuit, et cauſa hæc ad Concilium, quale in primo illo Norinbergenſi Comitio decretum erat, liberum & Chriſtianum, atq; in ipſa Germania celebrandū, reiecta. Ad tale igitur Concilij ſiue generale, ſiue nationale nos ſemp̃ uocauimus.

Vnde & Pax illa noſtræ religioni Norimbergæ promiſſa, & Ratiſponę ſancita, Anno 32, hac conditione et pacta & confirmata eſt, ut permanere nobis debeat, donec tale Concilium in Germania celebretur, quale in Comitio illo primo Norimbergenſi, decretum fuit.

Cum uerò ſciremus fore, ut pontifex in nullum uerè Chriſtianum, ac liberum Concilium conſentiret, & ne aliæ Nationes ac Monarchæ aſſentiantur, facile impediret: ideo quoties ſerio deliberatum eſt, qua nam uia & ratione Germanicæ Eccleſiæ pacificari, & reformari poſſent, Nationalem potius Synodum, ut indicta fuit, Spirā Anno 24, et poſtea Norimbergam, in conuentu Francofurdienſi, dari, quàm generalem, poſtulauimus. Quam obrem etiam poſtea in aliquot Comitiorum decretis, ſemper diſiunctiuè decretū eſt, ut ſi generalis Synodus obtineri non poſſet: haberetur Nationalis, aut certè conuentus Imperij, in quo de Religione ſtatueretur. Vnde & ſuperiore anno decretum ſimpliciter fuit, in his quæ nunc aguntur comitijs, negotium Religionis debere tractari & componi, nullius facta Concilij mentione.

Falſiſſimum igitur eſt, quod Gropperus, & quod alij plerique nunc clamitant, noſtros Ordines repudiare Concilium, quod in omnibus Comitijs petierunt. Concilium enim petierunt Chriſtianum & liberum, & in ipſa Germania

Tridentinũ non cõcilliũ eſt, quod uel promiſſũ ſit ꝓteſtantibus, uel ab eis poſtulatũ.

Germania celebrandum. Sed Tridentinum non eſt eiuſmodi: nec enim Tridentum in Germania eſt, tametſi plerique Germanicè ibi loquuntur. Nec quod ibi coit Concilium liberum eſt & chriſtianum: quippe quod ſummo Chriſti aduerſario Rom. Pontifici ſit obſtrictum, & in quo teneant primas, ac ſoli ſummas ſententias dicant ij, qui iuxta uerbum Dei & Canones locum nullum habere poſſunt, nec in ordine procerum Eccleſiæ, nec in Synodo Chriſtiana, id quod ſupra demonſtraui.

Etenim ſi fas eſſe nobis potuiſſet, religionem Chriſti, iudicio prodere Pontificis Ro. & Epiſcoporum, qui in eo conſpirarunt, qui ſcilicet in Tridentino conuentu omnem iudicandi poteſtatem ſoli tenent, pridem nos ab ad ſerenda ea deſiſtere oportuiſſet. Nam ante annos plus uiginti iudicata ea, & condemnata fuit, ſicut ab ipſo Pontifice, ita etiam à cęteris Epiſcopis, ac Scholis quoq; in hac Pontificis Tyrannide præcipuis. Nullo igitur modo id datum adhuc Concilium eſt, cuiuſmodi petierunt ante annos uiginti, non tantum noſtri, ſed etiam uniuerſi Imperij Germanici Ordines.

Quod iam ad me attinet, quid potuit dici à Groppero impudentius, quàm mihi quoque uiſum eſſe, Concilio generali Eccleſijs rectè conſuli poſſe? Et uerbis enim apud ipſum ſæpe, et publicis Scriptis ante tot annos oſtendi, Eccleſijs Germanicis, non eſſe generalem omniũ Chriſtianarum nationum Synodum expectandam: nec eius modi Synodo, etiam ſi cogi poſſet, doctrinam Chriſti puram, & diſciplinam ſynceram, ut nunc res habent, reſtitui facile poſſe: ſed oportere, ut noſtrę Eccleſiæ per ſuos proceres, & miniſterio piorum atq; doctorum homiũ ipſæ quęrant, quomodo inter ſe, de reuocanda Euangelij pu-

gelij puritate, & tota Religionis legitima procuratione conſentiant, conſtituant, Reformationiſque exemplum alijs Nationibus & Eccleſijs præferant.

Optandum quidem erat, ut ſupra diximus, ut cunctæ Chriſtiani nominis Nationes, communi Concilio & uoluntate, regno Chriſti apud ſe reſtituendo, operam darent: ſed quò minus id fiat, obſtat Tyrannis Pont. Romani, obſtat plurimorum Epiſcoporum pertinacia, obſtat principum & populorum in religione Chriſti ignoratio. Chriſtus autē Dominus noſter uult eos ſe primum ſequi, & initium emendationis ab illis fieri, quibus lumen Euangelij ſui prius fecit illuceſcere: Neque licet uocante Domino, reſpicere ad conſeruos, & iubente Deo quod facias, reſpicere quid placeat hominibus. In hac ita quæ ſententia ſemper fui: in eadem ſunt etiam quicunq; religionem Chriſti reſtitutam uolunt, noſtris Eccleſijs Germanicis, Synodo noſtræ Nationis ſuccurendum eſſe, & hanc religionis cauſam, ad Synodum generalem piè reijci non poſſe.

Sed Gropperus, pro ſua & coniuratorum ſententia, non male ſcripſit, Synodum Tridentinam aut ſimilem, Pont. Ro. æquę obſtrictam, (ſiquidem eis ſuccedat cęterarum Nationum contra nos conſpiratio, de qua nondum pronunciauit Dominus) unicum eſſe remedium depellendi ab ipſorum Eccleſia huius diſsidij, quod nos excitauimus, de Reformatione monēdo. Sperant enim nobis extinctis, noſtro exemplo alios abſterreri poſſe, ne quid tale poſthac audeant. At nobis contrà, non fruſtra, fundetur hæc oratio: Vindica me Domine, & adſere cauſam meam à gente non bona, à uiro doloſo & peruerſo eripe me. Eripe me Domine ab homine malo, à ui

Pſalmo 43.

Pſalmo 140.

s ro uio

ro uiolento ſerua me. Qui excogitant mala in corde, cot tidie conueniunt ut bellum moueant, exacuerunt lin guas ſuas ut ſerpentes, Venenum aſpidum eſt ſub labijs eorum.

CVM itaq; optimi principes ipſi quoque clarè uideatis, à Tridentina, & ſimilibus Synodis, quę Ro. Pont. & eius mancipijs addictæ ſunt, multa quidem & grauiſſima mala Germanicis Eccleſijs impendere, nihil uero boni expectari: nec etiam doctrinā & diſciplinam Chriſti alia Synodo reſtitui et cōmodius et certius poſſe, quàm quę per Imp. Maieſtatē & uos indicatur & gubernetur, in qua homines ipſi conuocetis, quos conſtet amare & quærere regnum Chriſti, & qui in Scripturis diuinis exercitati ſint, qui traditiones Eccleſiarum Apoſtolicas & Catholicas norint, & ſequi ſtudeant, agnoſcite tandem, quem in locum uos Chriſtus rex Regum, & dominator dominantium euexerit, cur omnem in hac Natione animam uobis ſubiecerit, cur iudicandi tantam in omnes poteſtatem tradiderit.

Idem ius, eadem ęquratio Eccleſiæ omnibus ſęculis.

Dubitare certè non poteſtis, eundem eſſe hodie, qui olim fuit, & Deum & Chriſtum, eandem Chriſti religionem, ac ideo eadem iura Eccleſiæ Dei, eandem gubernandi populi Dei rationem, eandémque muneris principalis facultatem, & idem ſemper eſſe officium. Iam uerò conſtat omneis laudatos principes hoc in officio ſuo agnouiſſe, cunctoſq; ſanctos Prophetas, Sacerdotes et Patres ita docuiſſe, ut quicunque in aliquo Chriſti populo ſummum imperium adminiſtrant, primam & ſummam curam impendant in cognoſcendis, iudicandis, conſtituendis, repurgandis, ſanciendiſq; religionibus. Hoc curauit, hoc

uit, hoc ſtuduit & perfecit religioſiſſimè, Noa, rex Salem Melcizedek, Abraham, Moſes, Iehoſua, cæteríque iudices & reges in populo Dei laudati omnes: Dauid, Salomon, Aſa, Ioſaphat, Hiskias, Ioſia, Nehemia: Et reuelato Chriſto, Conſtantinus, huius filij, Iouinianus, Valentinianus, Theodoſius, et huius filij atq; nepotes, Hoc Martianus, Iuſtinianus, Carolus magnus, eius filij, totq; alij pij Reges & Imperatores Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Germanię, Angliæ, uſq; ad Henrichum quartum Imperatorẽ, à cuius ſcilicet tẽpore Antichriſtus Ro. unà cum Eccleſiaſtica, & ciuilem ordinariam poteſtatem totam deiecit, ſibíque obnoxiam fecit, loco & poteſtate Chriſti occupata. Hoc pium Regum ac Imperatorum ſtudium, & hanc curam prædicant & teſtantur tot Conciliorum acta, tot præclara S. Patrum monumenta, & præſtandum ab illis eſſe, religione muneris diuinitus iniuncti, & neceſſitate præcepti conſentienter omnes affirmant.

Exemplum omnium piorum regũ, utriuſq; Teſtamenti in procuranda religione.

Si igitur eſt idem Deus hodie, qui olim, idem Chriſtus, idem ius Eccleſiarũ, idem officium piorum principum: hoc ipſum præceptum Dei, ius Eccleſiarum, officium ueſtrum & uos agnoſcite, reſpicite tandem gregem Dñi uobis creditũ, tàm miſerè diſiectũ: ſuſcipite Eccleſiarum curam, quam uobis Deus impoſuit. Ipſi Synodum piorum hominum & qui in uerbo Dei ſunt eruditi, cogite, ipſi controuerſias religionis cognoſcite: Efficite ut omiſſis calumnioſis & ſophiſticis Scriptis, tum in ea Synodo prodeant, & ſe uobis exhibeant Cochlæi, Gropperi, Latomi, & quicunque putant ſe uiolatæ religionis nos accuſare poſſe: adferant, quæ putabunt ad tantum crimen comprobandum aduerſus nos aliquid habere momenti. Scripturæ ſacræ ſunt ad manum, extant. S. Patrum Scri-

Prouocantur ad Legitimũ iudicium Synodi Gropperi, Latomi, Cochlæi.

pta,nec deſunt tot piorum conciliorum commentarij & Canones:habentur etiam tot preclaræ leges piorum Imperatorum de religione, & Eccleſiarum procuratione.

Audiamur autem & nos,& uel ea nobis, in hac cauſa uitæ æternæ præſtetur æquitas,quæ exhiberi tamen ſolet quibuſuis hominibus, etiam Turcis & ludæis, & in cauſis quibuslibet,etiam quę ſunt minimi,apud Chriſtianos præſertim,momenti:Dentur obijciendi,refutandiq; uices:admittantur & excutiantur legitimę probationes, ac teſtimonia, tum Scriptorum, tum dictorum: ita ut hæc omnia dantur,admittuntur,& expenduntur in quibuslibet controuerſijs, & dari, admitti, & expendi conſueuerunt, etiam in controuerſijs Eccleſiaſticis, & à laudatiſſimæ olim pietatis Imperatoribus, & ſanctiſſimis Eccleſiarum Epiſcopis atque Concilijs. Nulla certè cauſa eſt, quæ maiore religione & iure debeat inquiri, cognoſci,& iudicari,quàm hæc ipſa. Nam ea ritè iudicata,reſtituetur apud nos regnum Chriſti,& quicquid omnino bonorum expeti à nobis poteſt: perperam uero iudicata, profligabitur regnum Chriſti,& quicquid optabile nobis eſſe poteſt: ſimul Germaniæ certum adducetur exitium,tàm in hac,quàm in futura uita.

Ad quale ſe iudicium Cochlæus offerat.

GLORIATVR Cochlęus de zelo ſuo in fidem Eccleſiæ Catholicæ,pro qua adſerenda libenter uoluerit iam plus quàm uiginti annis, quodlibet extremũ capitis & uitæ huius periculum ſubire,cum quibuslibet aduerſariarum partium antagoniſtis: & addit luculentum mendacium, Se id Luthero Vuormaciæ, & mihi Ratiſponæ in faciem dixiſſe:Ratiſponæ enim ſemel tantum illum uidi,quod ſciam, idq; apud Librarium quendam

Digitized by Google

dam, subsistentẽ, ubi tum forte eram. Sed nec ibi, nec uspiam alibi, de experiendo mecũ coram ullis iudicib. de doctrina et religione Christi, ullum mihi uerbũ fecit. Vuormaciæ autem memini eum Luthero obtulisse disputationem, sed ea lege, ut ille fidei publicæ, qua munitus eò uenerat, renunciaret. Id autem erat disputare uelle periculo non sui, sed Lutheri capitis. Itaque tum hæc illius petitio fuit derisa & explosa à bonis uiris. Nam constabat quantopere Pontificij Oratores tum contenderint, Luthero fidem datam minimè esse seruandam.

Sed offert nunc rursum se uelle mecum experiri iure, sub certis iudicibus ad hoc deputandis, & quocunque capitis periculo, talionisque pœnam subiturum se recipit, nisi me conuicerit, & errorum in fide & criminum in uita. Sed addit has conditiones: si id fore ẽ re publica uidetur, & si ab utraque potestate ipsi concedatur. Videtis quales requirat conditiones, cernitis ut ludat de iudicio, & quantam eo contumeliam V. Celsitudinibus faciat. Quis enim non intelligat uerbis eum iudicium offerre, reipsa autem id, quantum potest defugere?

Ad hæc igitur Cochlæi ego ista respondeo: Sit ipse extra omne periculum: de me uerò uiolatæ religionis, si me ipse, aut alij huius euicerint, pœnæ sumantur: Sin autem ego illum conuicero deprauatæ religionis, non peto ut mulctetur, sed iubeatur tantum redire ad mentem meliorem, si queat: sin id non possit, temperare sibi à blasphemijs contra ueram doctrinam Christi. Tantum in eo uir sit, ut ad iustam se harum de religione controuersiarum disceptationem exhibeat, siue coram V. Celsitudinibus, aut eis Iudicibus, quos V. Celsit. communi sententia ad id delegerint: Vel nominet ipse

Ad quod se iudicium Bucerus offerat.

quos uelit Iudices, modo eiuſmodi, qui non ſint manifeſte impuri & ſceleroſi, ita ſcilicet, ut ex præcepto Chriſti communicare cum eis nihil liceat: Concedat autem mihi, pari numero illis adiungere uiros probatos, quibus nec ipſe, nec quiuis alius poſſit obijcere ſcelus aut turpitudinem. Coram his appareat, quæ contra nos ſe habere exiſtimat, adferat, eáque, quibus poterit, & rationibus, & teſtimonijs comprobet: Permittat autem, ut nos contra excipiamus, & reſpondeamus, quæ approbare poſſumus omnibus filijs Dei, & id cum ex certis ac manifeſtis Scripturis Dei, atque ex omni authoritate ueteris ac perpetuæ, hoc eſt, unicæ & germanæ Eccleſiæ Chriſti: tum per ea, quæ de ipſorum atque noſtris miniſterijs & moribus, uel euidentia facti nota ſunt omnibus, aut euinci poterunt teſtimonijs omnium contradictione ſanctioribus.

Cõditiones Cochlæi fruſtratoriæ.

Omittat friuolas illas, & fruſtratorias conditiones: Si uideatur fore è republica: Si admittat hoc utraque poteſtas. Et ſub certis iudicibus ad hoc deputandis. Si enim me conuincere poteſt errorum in fide, & criminum in uita, quis dubitet quin id futurum ſit è Republica? Vt enim ad meliorem mentem me non reducat, tamen ne alij mihi unquàm habeant fidem, tanquàm ſeductori, perficiet, atque Eccleſiam Dei uitioſo miniſtro liberabit.

Vtile Eccleſiæ iudicari legitime cõtrouerſias Eccleſiaſticas.

Quod igitur nemini dubium eſt, quin è re ſit Eccleſiæ Chriſti futurum, id in dubium ne adeo nulla ratione uocet, alioqui quis non clare uideat illum ab eo quod offert uerbis, reipſa omnino abhorrere?

Quam turpem ſimulationem æque prodet, uel etiam amplius, ſi non remittat & alteram ſuam conditionem de conceſſione poteſtatis utriusqua. Nam nouit ipſe, et nouerunt

nouerunt id omnes quibus Romana tyrannis uel mediocriter nota est, Pontificē, penes quem ipse maiorem, imò summam, imò unicam atque adeo omnem agnoscit Mundi potestatem residere, haudquaquàm hoc ipsi permissurum, ut nobiscum de Religione, uel ipse, uel quisquàm suorū congrediatur. Nam nec ille, nec quisquàm paulo prudentior dubitat, ea, de quibus nos ipsum, & ad dictam ipsi turbam pseudo Episcoporum, & pseudo Clericorum, accusamus, defendi, et quę ipsi nobis intendunt crimina, probari nullo modo posse. Tum interest Maiestatis Pontificiæ, ut inquirere in ea, quæ ipsa semel comprobauit, nemini permittatur. Vult enim Pont. Roma. esse Deus in terris, & in eo quoque Christi haberi Vicarius, ut credatur in sua administratione nihil peccare.

Denique si non defugiat Cochlæus omne Iudicium, quid refert disputare de certis iudicib. deputandis? Ego enim certos ipsi & Groppero, alijsque aduersarijs Christi omnibus Iudices dudum nominaui, & nunc etiam nomino, quos iudices nobis deputauit iudex omnium Deus, Imperat. Maiestatem & V. Celsitudines, ac quoscunque Imperator & uestræ Celsitud. huic iudicio communi sententia præficietis, uiros honestos, pios, & doctos, quos nemo possit impietatis, aut flagitij alicuius manifesti conuincere. Si hi iudices non placent, nominet ipse, ut dixi, quos uelit, modo eiusmodi, qui non ita aperte impij sint, & flagitiosi, ut nemo Christianus dubitet nephas esse, cum eis res diuinas tractare: Et concedat nobis, illis pares numero adiungere, eosque tales, quos ipse nullo in flagitio hærere possit probare.

Coram talibus disceptatoribus agere causam Christi, & reprehendere, quæ contra Christi præcepta in certam

Ecclesiæ

Refutare hæreticos iuratum doctorũ officium.

Ecclesiæ perniciem admittuntur: opus utique sanctum est, & Ecclesijs cum primis salutare, & eiusmodi, quod ad uniuscuiusque pertinet officium, nedum Doctoris Theologi, & Canonum, uti haberi uolunt Cochlæus & Gropperus, qui ut ista faciant, etiam iureiurando sunt adstricti. Proinde cum id isti aduersarij nostri, & Ecclesiæ Christi hostes, tam obstinate facere detrectant, ipsi de se testantur, quantũuis rabiose in nos debacchentur criminando & conuitiando, & quanquàm magnificè iactent se, & glorientur ab ipsis stare authoritatem Ecclesiæ: tamen sibi id satis conscire, se nec sua in nos crimina, nec suas de se ipsis laudes posse ullis rationibus comprobare.

Quocirca Gropperus facit prudentius, quantumuis enim à nobis prouocetur, & sit ante hac prouocatus, ut iudiciũ iustum nobiscũ subeat, tamen aut strenue id dissimulat, sicut & in suis proximis editis Calumnijs fecit: aut uulgare illud, sed in nobis, beneficio Dei minimè hærens, regerit: Hæreticum hominem post unam et alteram admonitionem, simpliciter uitandum esse: aut illa duo apertè falsa: Cum hæreticis non esse disputandum: Et, de ijs rebus, quas sedes Ro. pro iudicatis habet, cum nemine disceptari oportere. Cochlæus autem pro suo perpetuo more stultius fecit, & in uestras Celsit. etiam contumelioseè, quòd ad iudicium sese uerbis exhibet, quum tamen propter adiectas conditiones omne iudicium manifestè excludat. Nam nullum subire uult, nisi sub certis Iudicibus, & illos non nominat, ait, deputandis, sed non addit, à quo: intelligit autem à Pontifice Ro. nemini enim alij hoc concedet: & hunc nouit, nullos omnino, uel certè nullo modo idoneos, deputaturum. Requirit ut admittat hoc utraque potestas, & non dubitat eam,

eam, quam unicam agnoſcit, id non admiſſuram. Et præ ter hæc omnia uult adhuc relinqui ſibi, dubitare, an experiri mecum iure, ſit è re publica. Sed ita eſt ingenium eorum qui repudiata luce Chriſti, in tenebras ſeſe adiderunt Antichriſti, ut nullam poſſint iudicij lumen perferre:

Vos itaque patres & paſtores populi Dei, qui iudicare iudicium Domini debetis, quos Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui pater dedit iudicium omne, cunctamq; poteſtatem in cœlo & in terra, in his poteſtatum ueſtrarum ſedibus collocauit, agnoſcite uocationem ueſtram, conſiderate munus ueſtrum, quid requirat à uobis Dominus ueſter cogitate: & imitati hunc ipſum regem regum, & Dominum dominantium, implete quod de eo canit Pſalmus, Aſſumpto cœtu, quæ æqua & recta ſunt iudicate, Cogite piorum & ad Regnum Chriſti eruditorum hominum Concilium, & uel inuitos, iſtos lucis oſores, & Doctrinæ Chriſti conuiciatores, ex impiarum ſuarum exceptionum, immunitatum & exemptionum perfugijs, latibulisque ad diem iuſti iudicij prodire compellite: Modum ponite huic inauditæ & infinitæ ipſorum iniuſticiæ, licentiæ, tyrannidi, qua ſoli & de ſe ipſis & de toto orbe, quodcunque ipſorum, non leges, non ius aliquod, ſed infinita & portentoſa libido tulerit, pronunciant, ſtatuunt, faciunt: qua ſoli iura omnia diuina & humana pro ſuis exitioſiſs. cupiditatibus torquent, inuertunt & peruertunt: qua ſoli & accuſandi ſimul, & teſtificandi & iudicandi partes, in quoſcunque uiſum fuerit ſumptas ſemel, tenent tot iam ſæculis, in ſummam Eccleſiæ totius perniciem, euerſionem, & certum interitum: Perficite id quod Eccleſia cottidie orat, & ueſtri poſtulat officij religio, impo

2. Paralip. 19.

75

t nite his

Pſal. 9. nite his ex legibus iudiciorum omnium contemptoribus, terrorem iuſti iudicij, ut ſciant & ſe homines eſſe.

Dum enim tam altè ſublatum à conſpectu eorum eſt omne Domini iudicium, parturiunt uiæ eorum, ut canit Pſalm. iugiter omne malũ, & exibilant ipſi omnes qui legis diuinæ, qui iuſti & recti mentionem ullam fecerint, quos ſcilicet pro hoſtibus ſuis maximè deputant, Non permittatur ipſis in hac ſumma iniuſtitia perpetua frui impunitate, & leges ἀπροθύμους omneis uiolare. Satis ſit tandem, quod ipſos, quum omnibus publicis criminib. teneantur: tamen ne populus quidem Dei uniuerſus, ne dum quilibet è populo, accuſare potuerit. Reddant & ipſi aliquando rationem adminiſtrationis ſuæ, ac iudiciorum ſuorum: probent legitimè, ea, de quibus, tot Eccleſias Chriſti, & pios eius miniſtros criminantur falſiſſimè. Imperium Regis Chriſti, quod uos adminiſtratis, iudicium diligit, inſtituit æquitatem, Iudicium & iuſticiam in Iacob facit, ad quod uos ille miniſtros ſibi delegit. Excitate igitur tandem uos ipſos, & munus ueſtrum agnoſcite, ualeat apud uos tanti Regis, cuius λειτουργοὶ et adminiſtri eſſe debetis, maieſtas et ſeueritas: commoueat uos præcipitans in exitium Eccleſia Dei, populus Chriſti ſanguine redemptus. Quęrite iudicium, ferte opem oppreſſis, uindicate miſeros à uiolentiſſimis hoſtibus. Nam poſt Deum, liberatorem nullum, præter uos, in terris habent. Id ſi feceritis, hoc ipſo miniſterio ueſtro, non tam pio quàm neceſſario, Germaniam ueſtram reſtituetis in gratiam cum Deo noſtro, cuius grauiſſimam iram in nos exarſiſſe ſatis ſuperque experimur: Reſtituetis in eo regnum Chriſti, & ſtudium iuſticiæ eius, cui cætera bona adijcientur omnia. Turcas non ſolum à ueſtris ceruici-

Pſalm. 99.

ceruicibus propelletis, uerum etiam quos illi tenēt Christi populos captiuos, tam diu desideratę liberati restituetis, ac tandem defuncti presentibus laboribus, à summo omnium rege Domino & iudice nostro Iesu Christo audietis optatiss. illud: Euge, serui boni, ingredimini in gaudium Domini uestri. Deum precor ut uobis gratiam suam largiatur, & efficiat omnia in uobis ad suam sempiternam gloriam, et salutem populi sui Amen.

Argent. Calendis Augusti.
Anno. M. D. XLV.

Celsitudinibus uestris.

Deditus in Domino.

Martinus Bucerus.

Digitized by Google

CAPITA PRAECIPVA

HVIVS LIBRI.

Nullis hominibus minus posse permitti, ut Concilium Ecclesiasticum indicant & gubernent, quàm Pontifici Ro. & eius creaturis, à Quaternione B.1. usque ad E.3.

Qui Episcopi inter addictos Roman. Pontifici numerentur, qui non. D.4.E.1.

De ministerio malorum in Ecclesia. E.1. & 2 in Latomum.

Imp. Maiestatem & ordines imperij indicere & gubernare debere Concilium Ecclesiasticum pro Ecclesijs Germaniæ, & quales ad id conuocare, ab E.3. usque ad F.4.

Quod schisma Bucerus moliatur F.4.

De primatu Papæ, & potestate pari Episcoporum. a G usque ad H.2.

De abrogando Edicto Vuor. & alijs Decretis contra religionem nostram factis. ab H.2. usque I.4.

De doctrina Lutheri I.4. & K.1.

De iudicio & officio Conciliorum. à K.2. usque ad L.2.

Vtri tumultus concitent, Lutherani an Romanenses ab L.2. usq; M.1.

Quam Bucerus & Lutherani reip. Imperij Germanici moliantur perturbationem. ab M.1. usque M.4.

De iudicio dando causæ religionis. ab M.4. usque N.5.

Vnumquemque suo iudicio in religione relinquendum, in Latomum. N.1. & 2.

Gropperi mendacia & calumniæ repelluntur ab N.3. usque ad P.1.

Quantum Gropperi & coniuratorum eius ministeria & mores pugnent cum omni antiqua Ecclesiæ disciplina, à Q.2. usque R.2.

Quale Concilium Ordines Imperij decreuerint & postularint: & Tridentinum non esse eiusmodi, ab R.2. usque ad S.2.

De uero iudicio religioni dando, & uanitate Cochlæi in offerendo se iudicio ab S.2. Vsque ad finem libri.

Epistola Cochlæi T.3.

Digitized by Google

EPISTOLA IO-
ANNIS COCHLAEI AD ORDINES S. IMPERII IN COMItio Vuormacien. missa. Anno M. D. XLV.

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMIQVE ac Generosissimi Principes, Reuerendi, Illustresque ac Generosi, Venerabiles, Strenuique ac nobiles, atq; Prudentes, Proceres, statúsque Sacri Romani Imperij, Clementissimi, Clementésque ac benigni Domini mei S.

ISSISVNTISTINC AD ME HVC tres noui Libelli, Authore Martino Bucero, æditi. In quibus ille omni uafricia & arte tum Rhetorica, tum Sophistica persuadere conatur, omnibus Sacri Romani Imperij Ordinibus, ut celebrare uelint a non generale, sed nationale Concilium. Ea nimirum fraude sui spiritus (qui utique non pacis, sed dissensionis author esse solet) ut inclytam nationem nostram Germanicam (quæ antea à quibuslibet aduenis externarum Nationum, de Religione, & sedulo Dei cultu, præ omnibus alijs laudata semper fuit) à fide, & consensu reliquarum Nationum (quæ eundem Deum Dominúmque nostrum Ihesum Christum confitentur, & colunt nobiscum) b separet, atque sempiternæ infamiæ, confusioníque, & damnationi obnoxiam, captiuámque reddat. c Idque facit nugacissimo

a *Nationali. n. nõ autẽ generali cõsu. li Germaniæ potest.*

b *Vt cum Dño, & omnib. mẽbris eius consociet, à tyrannide et pditione Antichristi liberatã.*

d Aude hoc coram probare.

cissimo prætextu, sacrę scripturæ, sanctorúmq; patrum, atque etiam sacrorum Canonum, ac Legum, Historiarúmque, quibus improbissimè ad mendacia fraudésque suas abutitur.

Atque ut maiorem apud Germaniæ populos fidem authoritatémque sibi conciliet, audet publice prouocare Colonien. & quoslibet aduersarios suos ad experiendum de Iure, ita sane confidenter, ut seipsum obliget, ad pœnas Iuris, si quis ipsum posset conuincere, uel ullius erroris in fide, uel ullius criminis in uita. Hac itaq; d impudenti audacia sua triumphat, de uestra, omniúmq; Catholicorum patientia, quam si dissimulauerimus omnes, non uideo equidem, qua ratione possimus excusari ignauiæ, negligentiæque, & diffidentiæ, uel coram Deo, uel coram hominibus.

e Quare igitur eam non retunditis experiendo iusto iudicio?

Ego quidem de ingenio aut de eruditione mea (quam tenuissimam esse ingenue fateor) nihil confido, nihil polliceri ausim. Ea tamen uoluntate fui semper, annis plusquàm uiginti in hoc Religionis dissidio, ut pro Ecclesiæ Catholicæ fide, & ueritate fortiter & intrepide aserenda uoluerim libenter e extremum quodlibet canonicatus mereri, pitis, & uitæ huius trnasitorię periculum subire, cum qui faciendo conuitia buslibet, aduersarū partium Antagonistis, id quod non Christo et Ecclesiæ eius. solum scriptis in publicum æditis sæpe protestatus sum, uerum etiam in faciem aperte dixi, & Luthero Vuormaciæ, f & Bucero Ratisbonæ. g At nemo respondit, super hoc, nemo percepit corde. g *Lutherus respōdit: ego nihil dicenti quid responderem?*

e Id est pingues canonicatus mereri, faciendo conuitia Christo et Ecclesiæ eius.

f Cū quo nullū uerbum cōmunicauit.

h Quia p nos imperitū, quo minus regnū Christi publicè reciperatur.

Atque ita creuit h funestum & exitiale hoc dissidium ut nunquàm magis confusum ac turbatū fuerit, sacrum Romanum Imperium in Germania, quàm nunc per sceleratas

leratas Apoſtatarũ machinatiões (quibus in tempore obuiare opportuerat) cõfuſum atque turbatũ cernitur.

Dignus utique erat i morte Lutherus, quando Vuormaciæ coram omnibus ſac. Rom. Imperij ordinibus in publico conſtitutus pertinaciter & ſua k erronea atque impia ſcripta (inter quæ recens tum erat libellus eius de captiuitate Babylonica) aſſerebat, & cauſam excitatæ per ipſum diſſenſionis, l cognitioni Generalis alicuius Concilij committere nolebat.

Atque ut m tumultum contra Catholicos excitaret, Vuormaciam egreſſus, de fictitia ſua captiuitate, retro nuncios miſit, multóq; adhuc peiores quàm ante libros emittens, inaniſſima oſtentatione locũ ſui latibuli Pathmon appellabat, ut ſancto Iohanni Apoſtolo, & Euangeliſtæ in Pathmon inſulam relegato ſimilis eſſe uideretur. Dum autem uni huic homini male parceretur, paulo poſt pluſquàm centum millia hominum n propter huius negligentiæ piaculum occiſa ſunt. Et nullus adhuc malorum finis eſt. Fit ille o indies peior, ſanguinisque fundendi auidior, et ad ſcandala danda pronior. Id quod apertiſſimè teſtatur recens contra Papatum liber eius, quo nihil queat eſſe ſcurrilius, impudentius, calumnioſius, ſeditioſius, p aut impium magis.

Similibus autem ludis et artibus q conturbat ſacrum Imperium inceſſabili machinatione, alter illle Apoſtata Bucerus, cum quo amicè diſputauſ olim Francofordiæ ad Menum ſitæ ante annos xxv quando adhuc Catholicus in habitu monaſtico eſſe uidebatur, quí nunc publice ſuadere non ueretur, Inuictiſſimo Imperatori & ſereniſſimo Regi Romanorum Dominis noſtris omnium clementiſſimis cunctisque ſac. Rom. Imperij Principib.

clementi-

i *Tantũ ualere nolebat fidem Imperij publicã, Sed hoc eſt compendium diſputandi Cochlæanũ.*

k *Proba.*

l *Hoc erat Antichriſtis prodere Euangelium Chriſti.*

m *Tumultus cohibuit quos uos excitare conati eſtis.*

n *Et quare nõ propter reictũ et damnatum Euangelion Chriſti?*

o *Aliud iudicabit Chriſtus in die ſua.*

p *Impiè igitur dicitur in Antichriſtum?*

q *Tyrannidem Antichriſti.*

Et hoc ſcilicet ad rem.

Digitized by Google

Proceribus ac ſtatibus, ut non ſolum à Papa (qui utique ſemper pro uero & legitimo Eccleſiæ Catholicæ paſtore habitus eſt, quemadmodum in precibus antiquiſſima obſeruatione uſitatis dici ſolet. Oremus pro paſtore noſtro) ſed etiam à reliquis Catholicæ fidei Nationis, ex unitate fidei rupto charitatis uinculo in diuerſitatem & diſperſionem nouarum in fide ſectarum ſecedant.

r Falſũ hoc eſſe cõuincũt uetuſtiores libri.

Bone Deus quantum eſt hoc probrum ac dedecus Patriæ & Nationi noſtræ, totiq; Imperio Romano, quod his duobus Apoſtatis tam multa impia & audacia facinora impune permittuntur. Quaſi ludus & fabula fuerint, ſententia Ceſareæ Maieſtatis, propria eius manu ſcripta, & coram omnibus Imperij ordinibus publicè recitata Vuormaciæ, Edictum Vuormacienſe omnium Imperij ordinum conſenſu & per omne Imperium promulgatum, Mandata Imperatoris ex Hiſpanijs transmiſſa, Receſſus Auguſten. & id genus aliæ publicæ authoritatis monimenta, t à quibus reſilire ac turpiter diſſentire ſuadere uobis omnibus audet nunc Bucerus.

s Hi enim Theologi gladio & igni, quã Scripturis refutari eos, qui ipſis cõtradicũt, putant ſe magis dignum.

t Melius bene recurrere, quàm male procurrere.

Cum tamen u nihil interim afferat, in quo uel honorem uel conſcientias ueſtras firmare aut ſtabilire poſſitis. Conſtat enim omnib. etiã ipſo teſte Bucero, x quanta ſit adhuc hodie circa religionem opinionum in nouis ſectis diuerſitas & contentio. Nam & hoc anno æditi ſunt, noui inter diſſenſiones Lutheranorum & Zuuinglianorum libelli, quibus ſe inuicem reprehendunt ac lacerant. Et Bucerus queritur ipſe, in tertio ſuo libello, quanta inproperent ei plerique ſociorum ſuorum, qui Euangelicos ſeſe dicunt. Nec ignotum eſt qualia impro perauerit eidem etiam publicatis ſcriptis ipſe Lutherus.

u Verbũ.n. Dei Cochlæus pro nihilo habet.

x His ſcandalis ut olim, et hodie Satan Eccleſiam Dei oppugnat, ſed non expugnabit.

Sed

Sed & nuper æditus est in eundem Bucerum insig-
nis libellus y R. D. Stephani Episcopi Vuintonienſis in Anglia, in quo impudentissimi eum mendacij conuincit. Inter alia multa, sic dicens, Quid agas cum eo qui nihil ex fide, nihil ex uero loquitur? Sed quod ad causam quam susscipit commodum est, fingit atque refingit, & omnia fere factus est omnibus, ut z omnia misceat atq; confundat. Quod si quis apertiss. eius ad mentiendum impudentiam uidere uelit, is legat saltem unum quaternionem eius, ex secundo nuper ædito libro, qui signatus est litera O, ubi sic ait, α Nullus uerus Christianus petet ullam externam mutationem in dominijs, & bonis Ecclesiasticis &c. ubi proculdubio nihil ex fide, nihil ex uero loquitur.

y *Videhostem Pe in Anglia, mancipium Pe Pe testem citat & laudat. Et quicquid iste affirmat, id me conuincere est.*

z *Vt aliquos Christo lucrifaciat.*

α *Hinc opto iudicari et mẽdacij Cochlæum conuinci.*

Cum igit̃ hi tres libri eius nihil aliud sint quàm β fraudulenta, ad circumueniendos arte Rhetorica Germanos, commenta, quibus persuadere satagit, ut deseramus (quod Deus auertat) Catholicam fidem parentum nostrorum, ac recedamus in Religione à reliquis nationibus, atque ita permaneamus in perpetuo schismate, & æternæ damnationis barathro: uisum est mihi & operę pretium fore, ut meæ erga ordines sacri Rom. Imperij fidelitatis & obseruantiæ debitum, super ijs Amplitudines magnificentiásq; & circumspectiones uestras deuote ac suppliciter, omni cum humilitate ac obsequendi seruiendique uoluntate, admonere: eo nimirum animo ac studio, ut si γ è repub. fore uideatur, & ab utraq; potestate mihi concedatur, paratus sim, sub quocunque capitis mei periculo, cum Bucero isto sub certis Iudicibus ad hoc deputandis, experiri de iure, & pœnam subire talionis, nisi conuicero eum, Deo propitio ac bene iu-

β *Congrediamur, proba hæc.*

γ *Sed nec tibi, nec tuis uidetur id esse è repub. nec tua potestas id concedet, nec certos iudices deputabit: itaq; triumphabis sine certamine.*

u uante,

uante, tum de erroribus in fide, tum de criminibus in uita. Quis enim est ♂ incestuosus maritus iste, ut incircumcisis & pollutis labijs improperare ausit errores ♀ Ecclesię, columnę et firmamento ueritatis, & prouocare quos libet Ecclesiæ sanctæ Matris nostræ filios, quasi unus ipse in omnibus sit innocens? Bene ualete, Viri Amplissimi dominique mei obseruandissimi. Ex Eistet Ciuitate, die xxx Maij. Anno Domini. M. D. XLV.

♂ *Incestuũ & stuprorum uestrorum reprehensor.*

♀ *Ecclesiæ Antichristi, non Christi quæ columna et firmamentum est mendaciorum & impietatis.*

Reuerendissimarum ac Illustrissimarum Reuerendis. et Illustris. ac Magnific. DD. uestrarum

Ad quæuis obsequia deuotus ac paratus,

Ioannes Cochlæus Artium ac S. Theo. Doctor.

Digitized by Google

REVERENDISSIMIS, ILLVSTRISSIMISQVE AC GENEROSISSIMIS, REVERENdis, Illustribus, Generosis, Magnificis, Strenuisq; ac circumspectis sacri Rom. Imperij Principibus, Proceribus atq; Statibus, clementissimis, Generosisque ac benignis dominis suis reueren dissime obseruandis, partis Catholicorum Vuormaciæ in Conuentu Imperiali fœliciter congregatis.

AMPLISSIMI Patres ac Principes Illustres, Magnificique ac spectabiles Domini. Si hæc mea Epistola nimis importuna temeráque (ut uereor) uisa fuerit, non debet id peccati ulli hominum imputari, nisi uni mihi, de quo & ueniam suppliciter peto. Sancte enim affirmo, quod neque Reuerendißimus dominus meus pientißimúsque Patronus, Episcopus Eistetensis, neque ullus Consiliariorum ac subditorum eius eam uiderit, aut de ea quicquam adhuc sciat. Sed scripsi eam, sicut amor patriæ salutisque animarum (quæ proculdubio extreme periclitatur in omni schismate) & zelus fidei (pro qua mori mallem, quàm eam mutare aut deserere) animum calamùmque meum incitauerunt: quamuis enim iámdudum à Reuerendißimo domino meo deputatus sim ad proficiscendum Tridentum, ad generale Concilium, & iam diu expectem quando me abire iubeat: uolui tamen propter recentes Buceri libros me ám uobis prius reuerenter ac fideliter indicare uoluntatem, urgente me propria conscientia: ne uere poßit gloriari Bucerus, quod nemo Catholicorum ausit cum eo congredi. quare per proprium nuncium hanc transmitto Epistolam, quam ut clementer gratioseq; ac benigne in meliorem partem interpretari atque accipere dignemini, unice rogo ac supplico. Datum ut supra in Epistola.

Idem qui supra Iohannes Cochlæus.

Digitized by Google

VIDE quid hominũ sint Aduersarij causæ Christi, quid rerum agant, quomodo cõstet eis consiliorũ suorũ ratio. Agnoscit Cochlæus, sibi & uniuersæ Ecclesiæ suæ esse dedecori & probro, quod ipsos tot iam annis ad iustam causæ religionis disceptationem frustra prouocamus: eoque in Domino merito gloriamur, eos conscios sibi esse, se tueri causam peßimam, quæ nullam poßit prorsus ueri iudicij lucem ferre. Sed quid contrà zelus Cochlæi, ad quid ursit eum ipsius conscientia, quo istud à sua parte probrum, hoc dedecus remoueret, & hanc nobis gloriationem eriperet? Vt sibi & Ordinibus Imperij negocium exhiberet Epistola illa sua nugacißima, eaque magis adeo proderet, se & suos congredi nobiscum nequaquam audere. Nam tum demum se congredi nobiscum uelle scribit, dum id utraque Potestas, & imprimis ea, permiserit, quam nouit id nunquam permissurã: & dum iudices eadem Potestas huic causæ deputauerit, quam scit nunquam deputaturam ullo modo tolerabiles: & dum uideatur ijs è repub. id fore, quibus non dubitat hoc utile nunquam uisum iri.

Manet igitur, beneficio Christi, nobis firma hæc gloriatio, et ex ipsius Cochlæi literis eo illustrior, quo ipse in his clarius confessus est, quantũ ipsis turpitudinis et ignominiæ, et nobis bonæ existimationis et ornamenti id adferat, quod ad iustam de religione disceptationẽ nec exorari se à nobis patiuntur precib. nec extorqueri sibi sinũt iustis postulationib. tã metsi hanc ab ipsis totos iam 25 annos, & oremus & postulemus. Quic quid enim causæ fingant suæ tergiuersationis, nemo tamen non uidet, nisi ipsi sibi conscij essent, tam esse mala et peruersa sua cũ ministeria, tum uitam & mores, ut defendi nullo modo queant, eos diem iusti iudicij tanopere horrere non posse. Nec enim potest falsum esse quod Dominus dixit, Libenter in lucem prodire cognitionis omnium, quorum opera bona sunt: ut hanc fugere, quorum opera mala sunt.

Gloriamur igitur in Domino, & in æternum gloriabimur, eam nobis benignitate Dei traditam religionem, quam Rom. Antichristus cum omnibus suis creaturis, ut legitimè confutet, ne tentare quidem ausit. Gloriamur

riamur & de eo, quod boni utique omnes probe intelligunt & uident, iſtos noſtros Aduerſarios, nihil prorſus habere, quo uel noſtra probabiliter coràm oppugnare, uel ſua tueri ualeant.

Norunt enim hoc, quum Chriſtus, Dominus omnium, & ipſa iuſticia, hoſtium ſe accuſationi etiam ultrò obtulerit, idque apud populum iudicem, cum diceret aduerſarij ſuis, Quis ex uobis arguet me de peccato? nullam poſſe obſtare dignitatem, nullam innocentiã, quo minus ueri Eccleſiarum miniſtri, ſicut eos oportet eſſe apud omnes irreprehenſibiles, ſic ſe omniũ etiam iudicio explorandos et comprobandos libenter offerre debeant: quod & ueteres Canones omnino exigunt, & ſanctiſſimi quique Epiſcopi ſtudioſe ſemper præſtiterunt.

Præterea uide hic & illud, quid ab hoc tibi Tridentino Concilio ſperandum ſit, in quo inter primos Conſiliarios aderunt Cochlæi, & ſententias ſummas ij modo dicent, qui nullos alios audire conſiliarios uolunt. Quid enim Cochlæus aliud in Concilio inter deos & heroas ſuos de nobis conſulat, quàm quod ad Ordines imperij auſus eſt ſcribere, ut morte & ſupplicio noſtro, & Eccleſia & patria quàm primum expietur: ne ſæuitiæ Turcicæ, alijſq; ultionibus diuinis obijciatur? Huic tum conſilio falſi ſacerdotes illico applaudent, & nos reos mortis atq; atrociſſimis ſupplicijs tollendos quàm primum eſſe clamabunt. Nec aliam Eccleſiarum reformationem ab hoc Concilio expectandam exiſtimes.

Iactat ſe hic rurſus Cochlæus de ſingulari zelo erga Eccleſiam Dei, deque magna ſolicitudine & cura animarum: tu autem ex fructibus cognoſce arborem, ex uita & moribus iudica, quis ſit iſtorum hominum zelus, quæ cura de ſalute animarum, quæ recti prauique conſcientia. Cochlæus aliquot Canonicatuum ſacrilegijs onuſtus eſt, Sacerdotiſque & Theologi dignitate, emolumentiſque lautiſſimis abutitur: interim nulli Eccleſiæ ullum uerum munus Sacerdotis et Theologi præſtat: ob quam rem nouit ipſe nullam ſe poſſe partem habere in regno Dei. Conuiuit præterea ijs, & operam ſuam nauat ad defendendas tàm confeſſas & multiplices deprauationes doctrinæ, Sacramentorum, & omnis diſciplinæ

Ecclesiasticæ, qui manifestis parochiarum deprædationibus, aliisque portentosis Simoniis, tum etiam omni genere flagitiorum, & nequitiæ horrendum in modum contaminati sunt, cum quibus non ignorat non esse Christiano cibum sumendum. Vbi hic zelus pro Ecclesia Dei? ubi de salute animarum solicitudo? ubi officij & peccati conscientia?

Ita de schismate quoque & Deo & hominibus illudit. Ipsi enim se tot modis à corpore Christi auulserunt, ab omni doctrina & instituto Domini recesserunt: nos tamen, qui cum omnibus ueris Christi membris consentimus, & qui eius beneficio doctrinæ & institutis ipsius inhæremus, schismaticos faciunt, & se Catholicos. Schisma enim illis est,

ab Antichristo ipsorum ad Christum Dominum descisсere, & abominationes Antichristi commutare dogmatis & institutis Christi, quo pacto nos Schismatis nomine etiam gloriamur. Nec enim locum habere in membris Christi possemus, si in corpore hæreremus Antichristi.

MENDA.

Punctum præpositum, priorem: postpositum posteriorem folij paginam designat.

.b1	lin.26.	*aliquam lege.*	h3.	22	*Comitio*
.c2	9	*manifestos*	*ibid.*	24	*publico*
e2.	1	*eorum*	h4.	3	*oppressi*
.e3	13	*addictam, quàm Pontifici Ro. & eius mancipijs.*	*ibid.*	4	*intelligerent.*
			.k3	6	*quæ cont.*
.e4	5	*deligere*	k4.	6	*cóque*
.f3	6	*nationibus*	l1.	26	*sint,*
f4.	3	*sanctos*	m1.	18	*simplex*
g1.	4	*Ecclesiæ*	.n2	30	*uestræ*
g3.	29	*se constituit.*	.r2	23	*sublata*

ARGENTORATI, EX OFFICINA KNOBLOCHIANA, PER GEORGIVM MACHAEROPOEVM, MENSE AVGVSTO, ANNO M. D. XLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

image
not
available

Digitized by Google